

ITER VENETUM


EX

HUNGARIA SUSCEPTUM

QUOD

VULGARE FECIT IDEM EDITOR,

QUI VIATOR.



TEMESVARINI,

TYPIS IACOBI IOSEPHI IONAS REGIAE
ADMINISTRATIONIS CAMERALIS TYP.

1796.

Ad Lectorem.

Synopticam itineris mei descriptionem communem facio, non inani quopiam gloriæ studio, non etiam cupidine celebrandi operis, vel desiderio cujuspiam lucelli Scriptoribus hoc ævo familiari; sed seribo unice amore popularium, amicorumque meorum sollicita victus petitione, ut quippe illis hanc ipsam ne fors profectionem suscepturis itineris præstituerem Cynosuram, rerumque in occurso memorabilium non tam ederem historiam, proferremque documenta, quam perstringerem seriem curiosis Scrutatoribus, ad penetralia antiquitatum accessuris, Ducem futurum: His vero, ut tædio narrationis quotidianæ memet expediendæ percontantium aviditatem fatiarem, singulisque me circumstantibus, atque ab ore dicentis pendentibus, una qua-

si narratione fatisfacerem. Si proin
Lector benevole! Opusculum hoc meum
omni Orationis ornatu destitutum, &
neque ad apicem excultum, minus ve-
ro ad universalem occurrentium in eo-
dem rerum notitiam exactum te lege-
re deprehenderis, scito, me neque hi-
storicum, neque agere geographum;
ast unice ea brevi perstrinxisse perio-
do, quæ mihi itineranti, seu experi-
entia propria, seu ab exteris rerum
apud eos gestarum, actuque vigenti-
um notitiam habentibus, per occasio-
nem, usumque haurire licuit. Utere igi-
tur saltem interea pagellis his, donec
facto itineris hujus discrimine cogno-
scas & ipse quid poro dicendum statu-
endumque fuerit, sicque accessione
memorabilium narrationum, tu tuam
cumulaveris, gaudebo protinus, ea me
in patria, inter que Otium accepturum,
quæ procellosa per maris pericula, non
amplius experiri gestio. Vale, & Vive.



Certum est, quam plurimos excelsioris cum primis animi Patriæ meæ Cives reperi, qui non videndarum solum exterarum Provinciarum ferantur desiderio; sed & flagrent cupidine ea cognoscendi, quæ & domesticam, & privatam, publicamque singularum Ditionum constituent felicitatem; Ambient inquam scire, quibus hic, illeque populus vivat legibus, quæ prædominantes ubivis consuetudines, qui mores, quæ ratio communis subsistentiæ, quis alveus affluentæ; quæ artium, sciæque cultura? quis denique industriæ, Commerciique Status: ut abinde ducta diametrica quasi proportione percipiant ex æsse, quid quantumque Hungaria munifico solo, beneficæque debeat naturæ, & quid amplius industria, culturaque artium ad felicitatem exterorum adjecterit populorum; sed alios improbi sumptus, molestia viarum alios, alios imaginaria a latrunculis vitæ deterrent discrimina, alios tenuis res familiaris, amplificandæ rei domesticæ studium, aut credita in patria publica munia, etsi videndarum exterarum Regionum & colligendæ uberius experientia percipidos domi detinent, quibus horum non alia

supereſt copia, quam lectio, idæalis quæpiam Geographicarum tabularum peregrinatio, & eorum, qui exteras proprio periculo luſtravere provincias, Conſortia.

Sive lectio, five conſortia tenera jam ætate deſiderium in me accenderant, longe terrarum ſita luſtrandi, verum partim publica, quæ triginta prope annorum non intermiſſa periodo, ſuſtinui munia, partim familiaria negotia, in provectam uſque ætatem differre deſtinata coegere.

Tam quidem antea per vices, atque intervalla ab occupationibus liberiora, totam fere patriam meam, contiguamque ei Aſtriam, dum peragraſſem, cupido inceſſit animo adeundi maritimas urbes, luſtrandi portus, proſpiciendi maris æquor, imo ipſos etiam profundi æquoris ineundi periplos. Quare anno ſuperiore reparatæ ſalutis 1795. adſcito, moræ per colloquium depellendæ cauſa, via comite uno, ex Hungaria per Croatiam, Styriam, Carnioliam, Carinthiam, Iſtriam, Tergeſtum, celeberrimum quippe ditionis Cæſareo Regiæ portum ad maritimum perveni, unde per ſinum Adriatici maris provectus Venetiis luſtratis, viſa Padua, vicinioribus
que

que Reipublicæ civitatibus, terrestri itinere per ditiones Venetas, Tergestum, in Patriamque meam reversus sum: ultro etiam, ac longius in Italiæ oras profecturus, ni valetudo afflicta gradum in Patriam referre jussisset.

Hæc, quæ mihi visu, & narratu digniora, tum in conterminis patriæ meæ, tum in remotioribus regionibus oblata sunt, si iis, quos mihi nexu junxit patria, communicarem: operæ pretium memet facturum arbitraber, & quia hos, quorum causa hanc meam peregrinationem publicam facio locorum, ac rerum in patria gnaros credibile est, libero arbitrio ad expendenda memorabilia lectoribus relicto, nominando solum loca notabiliora, plus me dicturum existimo, quam si breviter nonnulla attingerem.

Quas Aradino relicto adii, fuere: Pestinum, Buda Metropolis, Alba Regalis, Veszprimium, notabiliores Urbes: Nagy-Váfony, Sümegh, Szala, Egerfzeg, Lendva, Csák-Tornya, memorabilia existere, quæ pertransii oppida. Primum, quod extra fines Hungariæ semet videndum jam a longe obtulit, fuit in solo Croatiæ situm, Varasdinum ab oppido Csák-Tornya I. Comit. Szaladiensi in-

gre-

gremiato, duobus solummodo milliaribus
diffitum. Est vero

Varasdinum Civitas in planitie sita,
mæniis, & vallo munita, non ampla, ædificiis
tamen ad unam, duasque contignationes as-
surgentibus, atque vastis recto geometrico
Ordine distributis plateis, ac domibus mul-
tum celebris, fere præsidio Temesvariensi
amplitudine, & fructura ædificiorum æqui-
parabilis. Ibi Comitum Draskovics, ac Er-
dödy, ipsiusque Comitatus Prætoria domus,
reliquas decore suo præcellunt ædes. Castel-
lum Comitum Erdödy peræque profunda
fossa cinctum, Civitatis vallo, & mæniis jun-
gitur. Fluvius inde Dravus ad Distantiam
circiter 500 passuum defluit. Obtinet Varas-
dinum Axioma Liberæ, Regiæque civitatis
inde ab Andrea Hierosolymitano, frequen-
tatur Thermarum propin quarum gratia.
Civitas incolis frequens, at multo exstitit
frequentior, quamdiu possedit Consilium
Banale Regium, ante viginti annos Zagra-
biam translatum. Varasdino sex milliaria
profectus jam ad Civitatem Styriæ delatus
sum, erat que illa

Petovium, germanis Pettau, quam ante-
quam intrassem, necesse fuit fluvium Dravum
ponte ligneo stratum transire. Civitas hæc
Sty-

Styriæ est in planitiæ sita, ob inæqualem tamen horizontem jam decliviores, jam editiores, tortuosasque habet plateas, domibus plerumque ad unam contignationem ædificatis. Civitas hæc affimilari potest Urbi nostræ Strigonienfi, eo excepto, quod Petovium minoris sit extensionis, quam Strigonium. Civitati huic contiguus est unicus Collis sat elevatus, in quo sita domus, seu Castellum cujusdam Comitis Styriaci ad instar alicujus præsidii muro circumdatum. Isthic abolitis ceteris Religiosis Ordinibus soli Patres Minoritæ præexistunt: & habet curam animarum. Quæ Petovio profectum excepere, ultro fuerunt: Faiftricz oppidum ad familiam Comitum Gönovecz spectans, multarum domorum unius contignationis vetusta forma ædificatarum, non alia re magis notabile, quam, quod hic loci existat amplum unum duarum contignationum quadratum Regiæ nostræ Majestatis Castellum.

Cillia Civitas spatiosa in planitie posita partim humiles, partim ad unam contignationem elevatas ostendit domos, antiquitatem spirantes. Præter Cathedralem Ecclesiam Patres Minoritæ, & Capucini suum habent hic loci Conventum, & Ec-
cle-

clesiam. Tota urbs muro cincta, olim etiam Præfidio prope jam in suis ruderibus sepulto, firmata fuit, ex cujus inscriptionibus lapideis opus illud Romanorum fuisse collimatur. Est cilleja hæc Metropolis Comitatus Cillejensis, cujus postremus Comes Ulicus vatiniano odio, indignis viro artibus extirpationi studebat Domus Hunyadianæ, donec in Ladislao suam ipse invenisset perniciem. Subiit hic animum materia, quam Tragediæ dedit Gara, sive invidia, sive affinis jugulati mortem vindicandi causa, impellendo tenerum Regis Ladislai animum in necem Ladislai Hunyadi.

Labacum germanice Laiboch Metropolis Carniolæ in amæna planitie, montibus ad unius miliaris distantiam circumsepta, amplis elegantibus ad unam, duasque contignationes elevatis nitet ædificiis: inter ceteras Domus Civica a vetustate structuræ meretur attentionem; in medio fori ex altis marmorei Colossi quatuor lateribus quatuor Delphini per nares Salientes emittunt aquas; Fluvius Labach vocatus per mediam fere labitur urbem, qui navigabilis commodo, utilique huic Provinciæ deservit comercio; sed & fluvius Savus

ex

ex Tyroli prope hanc civitatem defluens magno Civitati, Regionique est emolumento. Unicus vero, & Solitarius est mons Civitati adjunctus antiquo Præsidio contra vim aliquam hostilem instructus. Residet hic in Urbe Archiepiscopus, qui una Princeps est Provinciæ; Hic sedes est Episcopi, & duodecim Canonicorum. Reliquæ in occurſu itineris situatæ urbeculæ, atque vici, cum nulla gestorum memoria celebrarentur, non etiam attentionem meam provocaverunt. Ceterum quod generaliter situm Styriæ, & Carniolæ attinet: Prima Provincia seu Styria per totum, editissimis montibus hinc inde solummodo interjecta pauca planitie est referta, nec multum fertilis, sed longe ex altioribus, sterilioribusque montibus consistit.

Carniolia ipsa per amplissima aliquot milliarium spatia saxosos montes, non arboribus, non herbis germinantibus virentes plagas ostentat, juga montium Calvities occupat; latera vero defluentibus procellosis imbribus excavata, prætereuntibus horrore sunt, non deliciis, decliviora vero, & sementi apta loca admodum rara, tamque exigui sunt ambitus, ut ægre metretam seminandæ capiant Siliginis, quas,

&

& alias adhuc longe minutiores terræ portiunculas strue lapidum cingunt agricolæ rappas lactucas, & alia olerum genera colentes miseri, atque miserabiles.

Illud etiam observatu dignum, quod in Styria, & Carnioliâ triticum, vel filigo jam mense Majo, & sub initium Iunii maturum demetatur, illeque ager imediate, Ungaris Pohanka infeminetur, & sic uno anno idem ager duplicem agricolis reddit procreationem: demessis frugibus alio etiam semine, Himmelthau vocato, eodem anno eundem agrum infeminant Styriæ incolæ: Grana hujus seminis sunt instar Cummini, & spicas avenæ similes producut, hujus seminis farina sagineant fetigeros, stramine autem per hyemem cornuta alunt pecora. Tam inferioris Styriæ, quam & Carnioliæ plebei vix aliam præter Vandalicam callent linguam, quos ut sermonis, ita affabilitatis admodum parcos esse comperi, ut potius inurbanam adhuc Cruditatem ad plebiscitum referri observaverim.

Buda per Provinciam Styriæ, & Carnioliæ usque Tergestum computantur 34 postales Stationes. Inter altissimos montes, & profundissimas valles, Carolus sextus
Ro-

Romanorum Imperator primum improbo, labore, & immensis sumptibus, partim Grætio, partim a Civitate Petovio, usque Tergestum perfecit viam commercialem permeabilem, in cujus memoriam inter confinia Styriæ, & Carniolæ lapidei operis porta, ad instar Portæ Triumphalis ædificata transfiri debet. Marmoreæ hic loci tabulæ insculptum est Nomen Imperatoris Caroli sexti, ac reliquorum ad perficiendam hanc commercialem viam opus, consiliaque conferentium. Ad nonnullos altiores montes, per talem licet viam boum adjutorio, qui ubique præsto sunt, plaustra, currusque commeantium fatigio atrahi debent. Telonia ubivis absque conditionis discrimine a commeantibus exiguntur. Labaco lustrato per aliquod veredarios, vulgo postales stationes progressus, Tergestum appuli.

Tergestum olim spectabat ad Italiæ Regnum, & instar parvæ Reipublicæ gubernabatur, sub seque tamen se jure clientelæ subjecit Domui Austriacæ; unde in præsens usque nullum Regi pendit tributum, suis regitur legibus municipalibus, liberum habet portum, in quo nullum prorsus

sus a mercibus defumitur portorium, unice
 propter magnas expensas, in structuram
 portus factas, singula navis extranea eo
 appellens, pro beneficio portus quatuor sol-
 vit aureos; cum tamen abinde per axem
 in Ditiones suæ Majestatis merces adve-
 huntur, tum tam in Carniolia, quam Sty-
 ria tricesima dependitur, aliquarum autem
 mercium species in Ditiones suæ Maje-
 statis induci prorsus vetantur. Civitas Ter-
 gestum ex uno latere, qua Carniolia con-
 tigua est, editissimis alpibus clauditur; ab
 alio vero latere versus occidentem sinu
 Adriatici maris alluitur, ac ideo ex Cæsa-
 reis Regionibus per viam commercialem
 ad ipsam Civitatem Tergestinam ex altis-
 simo monte Urbi imminente Curribus ni-
 mis præceps foret descensus, nisi via in
 varios flexus diducta, ars, & industria ist-
 hoc præcipitium mitigasset; sub ipso mon-
 te aliqua est planities, cui tam antiqua,
 quam nova Civitas innititur. Antiqua ci-
 vitas altas quidem ad tres, & quatuor con-
 tignationes antiquo more structas habet
 domos, plateas tamen angustas, & obscu-
 ras, ac ideo nihil decorum, nihil amænum
 exhibet; nova tamen Civitas rectis, am-
 plisque plateis, domibus que juxta moder-
 nam Architecturam, ad tres, & quatuor
 con-

contignationes affurgentibus decora, tam
 amplitudine, quam elegantia ædificiorum
 urbi Pestienſi prorfus nihil cedit. Præter
 Governatorem, & Officiales Regios, ad
 Governium ſpectantes, iſthic nulla Nobili-
 tas, adeoque non niſi a diverſæ nationis
 opulentiſ mercatoribus inhabitatur. In pla-
 teis falientes, & lapidei operis Grottæ pro
 uſu publico aquas fundunt. In eodem fo-
 ro publico, ſuper una alta Columna ex-
 altata viſitur Statua Caroli Sexti, olim Im-
 peratoris, & Regis noſtri, tamquam Be-
 nefactoris munificentiffimi, cujus ope ci-
 vitas hæc ad Commertii florem pertigit;
 duo Canales artefacti e mari in medium
 Urbis longe protenduntur, ad quos naves
 marinæ, longius ibi moraturæ, ſemet re-
 ciipiunt; ſunt & aliis diſtinctis tribus in lo-
 cis portus de induſtria facti, inter quos
 unus circiter mille paſſuum a littore urbis,
 in ipſum finum maris, inſtar ſemicirculi
 porrigitur, quatenus naves marinas, ante
 urbem in anchoris ſubſiſtentes, a maris
 procella protegat; maris beneficio huc ap-
 pellentes, antequam portum ingrediantur,
 ante portum in anchoris ſubſiſtere, & lit-
 teras liberi paſſus, an quippe ex Ditioni-
 bus amicis, locisque ſanis, & ab omni
 contagione immunibus veniant, Governatori

exhibere tenentur. Si vero Tergesto aliqua navis quasdam personas Venetias devehat, eorum etiam Nauclerus super totidem personis, quas secum vehit, passaportum cum descriptione personarum, ac earum conditionis, & characteris adnotatione a Gubernio accipere, huncque dum Venetias pertingit, antequam idem portum Venetum subintret, Veneto portus Custodi exhibere tenetur, quibus perlectis visitatur navis, an tam quoad numerum personarum, quam & cetera accidentia passualium tenoribus res ipsa in omnibus cohæreat, & si quæ persona desit, stricto examini subjicitur Nauclerus, rationesque assignare, & docere tenetur, quare nam desit persona in passualibus specificata.

Tergesti ante portum continuo in anchoris excubant duæ mediocris magnitudinis celoces marinæ Cæsareæ, quæ frequenter percurfant viciniam littoris, & per mare omni casui fortuito invigilant; ex una talismodi celoce omni die sub ortum, & occasum Solis explosione unius tormenti signum datur; portus etiam omnes æneis machinis, atque excubiis militaribus provisi sunt. In hac urbe Græci ritus homines duo, Armeni unum habent Oratorium.

Civitati dominatur fortalitium edito mon-
 ti, vetusta forma superstructum, ut ex ejus
 mæniis ab incurfu hostium urbs, & portus
 æneis machinis protegi possit. Paulo sub-
 tus præsidium istud est in eodem monte
 Ecclesia, & turris, uti ex monumentis, &
 lapideis inscriptionibus videre est, opus
 adhuc Romanorum. Tergesti, Iesuitis,
 Monialibus Ursulinis, Minoritis, Capuci-
 nis, Fratibus Misericordiæ, omnibus abo-
 litis, nunc tantum quatuor Ecclesiæ deser-
 viunt Cultui Divino per Petrinos admini-
 stratorum. In tota hac urbe vix alterius, quam
 italici sermonis est usus. Cum ex hospi-
 tio, ubi dimorabar, mihi mare versus pa-
 tuerit prospectus, amænum fuit cernere,
 ad trium, quatuor milliarium distantiam
 ex Oris Dalmaticis, & Venetis, expansis
 velis mercantiles naves, speciem quasi
 magnarum Ecclesiarum a longe repræsen-
 tantes, portui appropinquare, Nam mane
 plerumque appellere, & vesperi a portu
 solvere consuevere naucleri; portus omnes,
 navibus commercialibus numerum fere du-
 centesimum excedentibus, ob commercii
 frequentiam oppleti fuere; plaustra vero
 innumera, & concatenata quasi serie mer-
 ces huc, illucque devehentia ubivis per
 commercialem viam occurrebant. Solent

jam nunc non solum per Græcium, & Viennam, sed directe per viam hanc, qua ego profectus sum, Tergesto recta etiam Budam merces curru deportari. Sereno tempore urbis Aquileæ grandis Ecclesia, & excelsa turris distincte videri poterit. Tergesti commorando etiam Aestum, seu fluxum, & refluxum maris observavi, quod mare cum occasu solis decrescere, cum ortu vero solis ad quatuor pedum altitudinem quotidie accrescere solet.

Maris Tergesto Venetias versus extensio calculo nautarum computatur viginti quatuor miliarium esse, ac ideo propitio vento ob cursus celeritatem, octo vel novem horarum intervallo Tergesto Venetias perveniri posse, communis est opinio. Dum tamen inopinata tempesta, & adversi venti navigantes in medio cursu deprehendunt, persæpe ad Adriatici maris Oras tam longe navigantes abripiunt, ut inde vix trium, & plurium dierum spatio ad idem punctum, a quo dimoti sunt, reverti possint. Nec mihi isthoc iter per tentanti venti propitii fuere; Dum enim Tergesti quinque aureorum pretio unam navim pro me, & mihi adjunctis Venetias deportandis conduxissem, & vesperi
hora

hora octava a portu solvissem, venti vix aliquantum quidem spirare advertebantur, altius vero in mare provectum venti ex Adriatico Pelago vastissimo ad hunc sinum Venetum penetrantes, & fluctus propellentes navem nostram validius, & formidabilius exagitare cæperunt. Circa mediam insuper noctem nova pluviosa procella ex septentrione exorta nos invasit, quæ cum alio meridionali vento collisa, fluctus marinos ad altitudinem trium etiam Orgiarum attollebat, navimque nostram in omnem partem ferocissime jactabat, jamque attollebat, jam deprimebat, plusque navis in latere oblique, quam in fundo suo per fluctus ferebatur: adeo, ut jam jam navim nostram invertendam, & submergendam putarem; allidebantur aliquando fluctus navis lateri tanta violentia, ut totam navis compagem rumpendam metueremus; ipsi naucleri totæ nocte in navis superficie cursitantes, indefinente fatigio vela jam attollebant, jam demittebant, jam in unam, jam in aliam partem ad vitandam ventorum violentiam dirigebant: Nos in navis parte inferiore constituti, nec in pedibus consistere, nec sedere, nec jacere quiete poteramus; stantes enim, vel sedentes huc illucque jactati corruimus

mus, jacentes vero interdum in unum
 latus nimium declinante navi plus stare,
 quam jacere videbamur, in aliud vero la-
 tus iterum inclinata navi, pedibus in al-
 tum erectis, capiti pene insistere, nos
 advertebamus. In hujusmodi vehementi
 agitatione veluti ebrii, capitis vertigine
 laborantes, & stomachi perturbatione ad
 vomitum provocati, ipsa mortis formidi-
 ne inter spem, & metum soli Misericor-
 diæ, & Providentiæ Divinæ nos commisimus.
 Tanto in periculo per octodecim horarum
 decursum constituti tandem subsidentibus
 ventis urbi Venetæ lenti appropinquavi-
 mus. Nemini ego certe suafor esse volo
 ad pertentandam maritimam navigationem,
 cum hæc vel audire, aut a longe solum
 spectare formidabile, tanto vero magis ex-
 periri horribile sit; Horrorem siquidem
 istum, omnes corporis mei artus occupan-
 tem, ex tremulis membris aliquot hebdo-
 madarum per decursum vix exterminare,
 & pallore suffusum meum vultum ægre
 suo nativo colori restituere valebam: Nec
 cibus, nec somnus aliquo tempore mihi
 sapuit, recurrente sæpius per noctem per-
 pessi periculi imagine.

Tandem propitio numine portum ve-
 netum subintrando, & prope forum S.

Mar-

Marci, in anchoris subsistendo, postquam nauclerus noster passuales suas, atque nos omnes, quos vehebat, Veneto portus custodi præsentasset, Scaphæ uni nostras farcinas imponentes, per nautam Venetum beneficio Canalis, Civitatem ingressi, ante diverforium: *Scudi du Franca* vocatum substitimus, atque in isthoc condescendimus.

Portentuosæ urbis Venetæ situm, & constitutionem quod adtinet: Urbs hæc Veneta exordium suum sumpsit circa initium sæculi sexti, dum Gothorum, Herulorum, atque Hunnorum ferocia partes istas Italiæ maritimas devastasset; præsertim vero eversa per Attilam Urbe Aquileia: præcipua tam ejus Civitatis, quam circumvicinarum partium nobilitas, & opulentiores cives ad has insulas, quas olim non nisi piscatores habitabant, securitatis causa semet receperunt. Harum insularum aliquam partem occupabat terra firma, aliam partem aquæ minus profundæ inundabant, ob quod, palis, & Cratibus ligneis primum pro fundamento positis, domus plurimæ superstructæ habentur, plateas urbis maxima in parte, aquæ in Canales artefactos traductæ opplent, atque domorum ipsarum parietes alluunt, adeo, ut quem-

admodum aliis in Civitatibus equi currus-
 que comeantibus deferviunt, ita hęc loci
 de una platea in aliam, & circa urbem
 cymbis, vulgo Gondole dictis, quæ ubivis
 immensa sunt copia, & ad 14000 esse per-
 hibentur, cives circumferuntur; sunt præ-
 terea pontes lapidei etiam facile 400, quo-
 rum adminiculo de una platea in aliam
 transitus patet, eo, quod in parte aliqua
 plateæ satis angustæ, solidæ terræ innixæ
 sicco etiam pede permeabiles existant. Per
 mediam fere urbem tortuose decurrit Ca-
 nalis pelagi 1300 passus longus, & 40 la-
 tus, *Rivo alto* dictus, ferendarum magna-
 rum molium capax. Supra hunc Canalem
 unicus est pons lapideus marmoreus: *Pon-
 te di Rialto* nominatus, multum per Ve-
 netos celebratus, per quem de una parte
 ad aliam Civitatis partem peditibus patet
 transitus, cum aliis in locis non nisi Cym-
 bis per hunc Canalem commeantes trans-
 portari debeant. Pons iste ex unico arcu
 formatus, 187 pedes longus, 43 pedes la-
 tus, in tres navatas divisus, tam ex una,
 quam alia parte ascensum, & descensum
 præbet, in medio autem officinas merca-
 torum 24 lamina tectas supportat. Iucun-
 dum hic diversæ ætatis de plebe homines
 exhibent spectaculum, pro exigui pretii re,
 aut

aut moneta abjecta certatim in Canalem
 defilientes, injectamque rem proferentes.
 Urbs in longitudinem plus, quam in cir-
 culum formata, quinque in ambitu com-
 plectitur Italica milliaria. Ubi mare pro-
 fundius, ibi littora Saxorum copia oppleta,
 & cratibus ligneis firmata, civitatem a
 fluctibus, & maris procellis protegunt, ac
 ideo prope mare in Domo Civica sequen-
 tia lapidi fenatus inculpti curavit: *Vene-
 tiarum Urbs, Divina disponente Provi-
 dentia, in aquis fundata, aquarum am-
 bitu circumseptæ, pro muro munitur.*
Quisque igitur quoquomodo detrimentum
publicis aquis inferre ausus fuerit, ut
hostis Patriæ judicetur, nec minori pena
plectatur, quam si sanctos Patriæ muros
*violasset. Hujus edicti jus ratum perpe-
 tuo esto.* Numerum inhabitatorum ad ter-
 centena millia computant. Reperimus in
 urbe aliquot locis fontes dulces, & pota-
 biles aquas suppeditantes, cum alias ex vi-
 cina terra firma quæ dulces, usui hu-
 mano deservientes, navium beneficio ad-
 ferri debeant, vel cisternis excepta aqua
 pluviae in usus adhibenda sit, Quinque
 aperturæ, seu aditus ad civitatem patent,
 vocatæ 1. *De tre Porti.* 2. *De Lido Mag-
 giore.* 3. *De sancto Erasmo.* 4. *De due*

Castelli. 5. Di Mallamoceo. Duo posteriores comodissimi, & plurimum frequentati, in defensam habent armorum, & tormentorum præsidium solida vi, & forti armorum manu instructum, atque provisum. Aedificia isthic sunt constricta, quatuor, quinque, & plures etiam contignationes alta vetusto tamen plerumque more ædificata. Multarum domorum superiores contignationes, ex ligno & asseribus cæmento incrustatis factæ, habitationi deserviunt. Domus cavis imbricibus, quemadmodum Turcarum ædificia, contegi solent per totam Italiam. In nobilioribus ædificiis cubiculorum pavimenta rarissime asseribus sternuntur, sed plerumque aut politis marmoreis tabulis obducuntur, aut aliqua ejusmodi massa, pout apud nos lapidea altaria, ut speciem marmoris repræsentent, obliniuntur, & incrustantur, quæ materia bene indurata, & polita eam formam exhibet, quasi una solum tabula marmorea totius cubiculi pavementum contactum foret, quæ compositio non solum longæ est durabilitatis, sed & ad munditiem ex eo plurimum confert, quod nec pulveres, nec ulla insecta sub illam se recipere possint, & æstivum præterea ardorem nativo suo algore multum temperet. Inter præcipua autem

tem ædificia primo loco commemorari meretur Ecclesia S. Marci,

Hæc Ecclesia S. Marci ædificata est in foro, ab hac Ecclesia denominato, quod forum prope maris portum situm est; fundamenta hujus famosæ Ecclesiæ circa annum 828 posita esse, demum ad ornatum illum, in quo de præsentis visitur, Anno 1085. pertigisse non est dubium. Structura est quasi quadratæ figuræ, pluribus cupulis lamineis contacta, & cum adeo a fronte lata sit hæc Ecclesia, ut tres quasi Ecclesiæ una conjunctæ esse videantur, ideo a fine Ecclesiæ forum spectante per quinque portas æreas sumptuosi laboris patet ad Ecclesiam ingressus, supra quas quinque arcus, Columnæ 292 marmoreæ in duos ordines dispositæ sustentant. Supra hos arcus in linea parallela secundum latitudinem Templi extenduntur longissimi Cancelli marmorei; in medio horum Cancellorum, seu meditullio ipsius frontispicii conspiciuntur quatuor grandes equi ex cupro cusi, & deaurati, qui in Neronis arcu Triumphali, dum Idem de Parthis victoriam reportasset, a Populo Romano collocati, demum per Constantinum Magnum Constantinopolim translati, & finaliter, dum Anno 1206. Venetæ Gallis juncti Constantinopolim ex-

pugnassent, per Venetos ad hanc suam urbem transportati fuisse referuntur. Ornant demum tam frontispicium, quam Ecclesie circumferentiam affabre laborata multae parvae turres lapideae, sanctorumque statuae; interne fornicem, seu testudinem Ecclesie exornant variorum sanctorum Imagines Mosaici pretiosi laboris; parietes Porphyrite, Alabastro, & diversi generis pretioso lapide, ac marmore ornati testimonium perhibent antiquae pietatis, & munificentiae Venetiani populi. Curiosi non minus, & singularis admirationis est ipsum etiam Templi pavementum ex minutissimis diversi coloris lapillis instar Mosaici laboris adeo artificiose dispositum, ut illud omnis formae figuras, & animalium species representare cernatur.

Episcopus titulo Primicerii (ut Itali vocant) insignitus cum 26 Canoniconi 1 catu hujus Ecclesiae est Curator.

Inter peculiarem hujus Ecclesiae 1 saurum numerant Crystollinum vasculum, quod aliquot sanguineas guttas Salvatoris nostri Iesu Christi continere dicunt; item particulam Crucis, in qua Salvator noster pependerit, exhibent. Ostendunt etiam clavum, quo ipse Christus Dominus cruci affixus fuisse putatur; ac denique multas

monstrant sanctorum reliquias tanquam res rarissimas, atque pretiosissimas, hic non commemoratis in particulari aliis pretiosis lapidibus, Adamantibus, Carbunculis, Rubinis, Crysolitis mirabilis magnitudinis, atque valoris.

Exeundo ex hac Basilica ad isthoc forum S. Marci, quod 280 passuum longitudinis, & 110 latitudinis esse numeratur, alium fori finem claudit Ecclesia S. Geniani dicta. Duo vero hujus fori latera cingunt in longum protensa Palatia ab uno *Procuratoria Vechia*: ab alio *Procuratoria Nuova* nominata, & hoc est Urbis hujus forum principale; aliud autem minus forum huic vicinum ex uno latere clauditur Palatio Ducali, ac Bibliotheca publica; sinistram demum ejus partem aluit lacuna Pelagi. Hoc forum est 250 passus longum, & 80 passus latum. Circa Forum majus notatu digna sunt, quod Domus *Procuratorie Nove* vocata, sit notabilis architecturæ ante tria adhuc sæcula constructæ, cujus pars infima lato, & per longitudinem totius Domus protenso, Columnis lapideis insistente ambitu, commodum commeantibus suppeditet ambulacrum: hæc pars inferior plerumque mercatorum officinis ex

referta; superiores autem duo tractus per diversi Ordinis personas inhabitantur; *Procuratoria nova* pars altitudinis, & longitudinis subdividitur in quinque Palatia; atrium hujus molis innititur multis columnis marmoreis in tres Ordines, ut pote laboris Dorici, Ionici, & Corinthii distinctis; habitatur Excellentissimis Procuratoribus a S. Marco vocatis.

Hoc in foro turris horologii alta 82, & lata 18 pedes in supremitate duo repræsentat hominum simulacra ex ære cusa, intra quæ unam magnam campanam pendentem, quoties hora sonare debet, toties, totque ictibus, quot horæ recurrunt, ferreo malleo hæ statutz quatiunt,

Id hic non prætermittendum, quod in Italiæ Ditionibus prima hora inchoetur ab occasu solis, & usque sequentis diei idem temporis punctum ordine numerico decurrat horologium per 24 horas: & neque recurrat circa meridiem, uti apud nos hora prima: aut post horam duodecimam 13, 14, & sic consequenter & finaliter sonando 24. horam horologium suam complet periodum.

Ante prospectum Ecclesiæ tres Ordine terræ infixæ, & in immo mari firmatæ, abiognæ crassæ altæque trabes rubro colore tinctæ, tres quasi colossos representant, triplicis quippe reportatæ victoriæ monumenta; quibus occasione majorum Festivitatum magna sericea vexilla appenduntur.

Turrim S. Marci a corpore Ecclesiæ separatam, & in aliqua distantia locatam miris laudibus a structuræ magnificentia, & imani proceritate Italiæ gentes deprædicant, afferuntque illam 330 ut pote pedum altitudinis Turres nominatissimas, Argentinam videlicet. Bononiensem, & S. Stephani Viennensem altitudine superare; ast sinistre tantum encomii Itali, sua semper extreme extollere soliti, huic suæ ædi deferunt; impartiali siquidem iudicio certum sit, simplicis, & plani parietis campanile S. Marci cum turri S. Stephani Viennensi seu quoad altitudinem, seu sculpturæ excellentiam nullatenus in comparationem vocari posse; nisi totum artificium in eo Venetæ reponant! quod in cacumine turris S. Marci grandis staturæ ex ære fabricatus Angelus juxta ventorum sufflatum ad omnem partem sit volubilis. Ecclesia
 S.

Geniniani non equidem a sua amplitudine, sed a nobili, & ingeniosa architectura celebratur.

Palatium Ducale ampla moles, cujus internum, & externum longum ambitum sustentant 300 columnæ marmoreæ. Ad hoc ædificium per octo portas est aditus: per quatuor ut pote versus maris canalem, duas versus forum, duas item versus Ecclesiam S. Marci: Multiformes statuz marmoreæ exornant intus, & extus porticum, hujus molis, & diversa triclinia hic diversa obtinent nomina a suis usibus denominata, ut pote sala de *Anti Collegio*, sala Collegii, ubi residet Doge seu Dux Venetus cum suis consiliariis quadraginta. *Sala del Pegradi Vechio*, sala Della statue, quæ Romanorum antiquis statuis, & pretiosis picturis exornatur. Sala, *Configlio di Dieci*, seu Consilii Decemviratus, sala dell' armamento de configlio di Dieci in quo, præter copiosas Heroum statuas, repositæ sunt multorum Illustrium Militarium Ducum armaturæ, inter quas peculiariter ostendunt frameam Castrioti Scanderbegh olim Herois nominatissimi; *Sala Dello Squintinio*, seu Sala Scrutinii, in qua majus Consilium cum Dogeo majora officia publi-

publica confert Patritiis. Videntur hic duo leonum, diductis faucibus obferatæ arcule infidentia marmorea simulacra eo artificio formata, ut quidquid eorum leonum rictui injiciatur, illud subito ac recte in subjectas arculas decidat, quæ intulantur *Denunzie segrete*, Si quis igitur sub anonimo Senatui Veneto aliquam secretam denuntiationem facere velit: is scripto comprehensam suam delationem eorum leonum faucibus injicit, unde *Inquisitores* nominati arculas illas frequenter referantes, perlecta denunciationis ferie, ex officio in expositionis realitatem strictissime inquirere tenentur.

Proxime ad canalem *Rivo alto* dictum, in domo magna quadriangulari solent omnis generis mercatores in suis negotiis mercantilibus convenire; in eadem domo est Bancale Venetiæ Departementum; in propinqua autem domo confidet Magistratus pro dijudicandis Mercantilibus causis.

Præter Templum S. Marci, ceteras inter Ecclesias, quas Itolorum pietas exquisitissimo Ornatu magnis sumptibus erigere consuevit, secundo loco mihi placuit Ecclesia *di S. Maria della Salute*, quam

quam in æternum pietatis testimonium Anno 1682. Respublica Veneta singulari cum munificentia ex voto ædificavit, ut pestilentia, quæ habitatores Anno 1631. immanissime depopulabatur, desineret. Hoc sanum est Circularis figuræ 130 staturis eximiiis extrinsece exornatum. Tectum tegit alta Cupula laminea. In magna ara depictam B. Mariæ Virginis effigiem asserunt S. Lucæ Evangelistæ manu pictam fuisse; hanc aram exornant sex Columnæ ex porphyrite sculptæ; quin autem hæc Ecclesia pretiosa sacra etiam abundet suppellectili, dubium nullum esse potest.

Inter ceteras Urbis hujus fabricas, dignum est objectum, multum decantatum *Arsanale*, seu Domum Armamentariam hujus Reipublicæ fufius commemorare. Totum hoc ædificium, quod in circumferentia duo milliaria italica complectitur, in finibus urbis supra varias minores insulas positum est, cujus omnem circumferentiam ambit murus altus, vigiliis nocturnis ubivis desuper dispositis. Habet duos ingressus: unum versus mare; alium autem terram versus. In fronte portæ sculptum legitur: *Victoria navalis Monumentum*. Duo millia omnis generis opificum impen-

fis

lis publicis quotidie sibi commissos, annu-
 libus 40000 florenorum impediis perfici-
 unt labores; hic enim ænea tormenta, &
 ferreos fundunt globos, fabricant anchoras,
 texunt vela, torquent immanis longitudi-
 nis, & crassitie funes, fabricant naves bel-
 licas, & omnis generis conficiunt arma,
 terrestri, & maritimæ militiæ necessaria.
 In duobus longis cubilibus varii generis ar-
 ma tam pedestri, quam equestri militiæ de-
 servientia juxta parietes artificioso Ordine,
 atque diversas figuras repræsentantia, sunt
 disposita. Si quis tamen Viennense Ar-
 mamentarium Cæsareum cum hoc confere-
 rat; is fateri debet, tam quoad copiam
 armorum, quam & mirabilem, & pene
 prodigiosam armorum dispositionem, at-
 que simetriam, Veneticum Arsanale ne
 umbram quidem Viennensis domus Arma-
 mentariæ adæquare. Laudabilis tamen re-
 rum Ordo in Veneto Arsanali observatur;
 Nam ex media quasi hujus Domus aræ
 elevatiore turri omni hora nocturna vigil
 alios vigiles circa arsanale constitutos in-
 clamat, & ii singuli responsa reddere te-
 nentur ad cognoscendum, num excubantes
 omnino vigilant: præterea militares etiam
 excubiæ tota nocte ibi circumeunt, omni
 funestò incendii eventui invigilantes. Qua

a Pelago ad has ædes accessus est, ibi duo Canales de industria facti ex vicino mari usque meditulum areæ penetrant: super horum Orificio exstructus habetur pons sublimius, seu attractilis, quo aperto bellicæ naves, quæ alias in sicco, & sub tecto repositæ quiescunt, facili negotio in mare perducuntur; Clauso autem hoc ponte peregrinæ naves ab Arsanalis ingressu prohiberi valent; Reposita est etiam in area hujus ædis longa crassissima catena, qua imminente hostili metu portus præcluditur ad arcendam Classem hostilem. Esto quidem hic loci maximam bellicam quadriremem haud viderim: primæ tamen magnitudinis naves facile numero sexaginta profu bellico præparatas numeravi; harum unius longitudinem 86 gressibus, altitudinem vero, donec illam per gradus ingredi poteram, 89 gradibus emensus sum. Triumpotissimum contignationum talismodi naves in infima parte provisionem bellicam ad prælium comittendum, ac dein victualia militiæ, & nautis necessaria continent: secunda contignatio militum copiam, quæ pro capacitate magnitudinis 600, & plures etiam recipit personas; Tertia contignatio nautarum farcinas, anchoras, funes, & alia apparamenta supportat. In
super-

superficie demum navis, quæ alias tota solide contacta est, nautæ constituti juxta ventorum volubilitatem ex artis suæ peritia vela dirigunt, ac ideo, & si fluctus marini sæpe navim etiam obruant, aqua iterum præcipiti cursu per tectum ab omni latere defluit, navisque a magnis fluctibus per tempestatem depressa, sua levitate suapte attollitur. Singulæ navi septem grandes anchoræ, quarum quælibet ultra 60 centenarios ponderat, septem item funes instar lumbi virilis crassi, & 100 etiam orgias longi ab uno sine anchoris; ab alio vero sine navibus solide alligati imponuntur ad sistendas, ubi necesse est, & ubi ad fundum maris pertingi poterit, naves; quilibet talis funis dicitur 2500 florenorum expensis venire. Aenea tormenta in una bellica triemi interdum numero 90, & plura ab utroque latere per duas contignationes disposita, 12, & plurium librarum globos in prælio ejaculantur. Ex hujusmodi navis gremio attolluntur tres, quarum media altissima est, crassiæ, & immanis proceritatis arbores abiegnæ ab utroque latere multis funibus navium lateribus solide contra ventorum vim alligatæ, ad quarum superficiem, necessitate sic exposcente, nautæ scalarum, ex funium plexu

artificiose formatarum, adminiculo pertinent, quibus largissima vela appensa ventorum adminiculo naves juxta flatum ventorum, & dispositionem nautarum celerissimo cursu in altum propellunt; nec vero ullus est hic remorum usus. Ne autem putredine sumptuosæ naves corrumpantur, omnes fervida pice ab extus illiniuntur, una talis primæ magnitudinis bellica navis omni apparatu necessario instructa, dicitur unum florenorum millionem constare.

In memorato Arfanali mulieres telam pro velis conficiendis texunt in separata ædium parte, nec virorum consortio miscentur; sed ad evitandum omne scandalum a bonæ famæ, & provectæ ætatis matrona custodiuntur. Omnes hujus loci operarii habent suos superintendentes a supremo Reipublicæ Senatu ordinatos, qui & operariis invigilant, & super omnibus expensis rationes ducunt: Sex personæ nobiles per Senatum denominatæ habent supremam hujus Arfanalis directionem, quorum per vices alternative unus omni nocte per 15 dies in uno Arfanalis cubili majoris securitatis causa pernoctat. Operarii quolibet die feriali sonitu campanæ ad labores evocantur, & per sonitum campanæ

panæ signo dato laborare desinentes, iterum emittuntur. Extraneis, qui videndi, causa has ædes ingrediuntur, armatis intrare vetitum est, nisi ipsi sint ex Principum stirpe.

Visis his, & per Ductorem honoratæ alias conditionis virum, quem mihi supremus Arsanalis Director peculiaris humanitatis causa in Comitivam eorum adjunxit, taliter explicatis, tandem perductus sum ad magnopere decantatam navim, ex qua singulo Anno Doge mare desponsare solet *Bucentaurum* vocatam, & peculiari sollicitudine custoditam. Hujus excellentis structuræ longitudo 100, latitudo vero 21 pedum esse existimatur. Ab ipso fundo ad duas assurgit contignationes; in inferiore contignatione ab utroque latere 52 remigibus impellitur: superior autem tractus præbet prospectum amplæ Salæ, quæ tota exquisitissimi laboris sculpturis, & in circumferentia deauratis statuis diversarum virtutum symbola referentibus, ornata, & contexta, ab intus in duas quasi partes divisa, tam in medio, quam in circumferentia sedilia bysso obducta Principibus ac aliis summæ dignitatis viris exhibet. In ipsa vero puppi aliquantum eminentius posito sedili Doge occasione desponsationis

marinæ confidens, annulum aureum in mare cum tali verborum expressione projicit: quod, sicut vir in uxorem sibi mulierem desponsat, sibi que supremum super illa Dominium retinet; ita Respublica super mare sibi Dominatum semper reservat, sibi que aquas marinas velit esse obsequentes. Hanc Bucentaurum ego ingrediendo, in sedili Dogeo destinato, memoriæ causa confedi, & a longa deambulatione fessus, aliquantum quievi.

Solemnnitas desponsationis hujus quolibet anno festo Ascensionis Domini peragitur, cujus occasione Dux, seu Doge Venetus primum in Ecclesia S: Marci invocato divino auxilio hanc Bucentaurum ad forum S. Marci subsistentem in Comitiva magnorum virorum, ac innumerabilibus navigiis splendide exornatis, atque duplicato ordine consistentibus, Spalierque dicto, formantibus ingreditur. Ingressum Ducis ad navigium comitantur quinquaginta Præcones vocati, quorum octo præferunt Regalia insignia, alii sex longas tubas, & tympana argentea, alii vexilla portant, & quidem duo albi, duo rubri, duo cærulei, duo denique violacei coloris. Albi coloris vexilla denotant pacem, rubri

bel-

bellum, ita alterius coloris vexilla, sua
 æque habent symbola. Succedunt his sex
Pifarii secundum *scudarii* vocati, dein ga-
 valeri suæ serenitatis, hos sequitur clerus
 in apparatu pluviali. Super caput Ducis
 deauratam Umbrellam Magnus Republicæ
 Cancellarius tenendo Ducem sub illa co-
 mitatur usque suum sedile in Bucentauro
 existens Agmen denique claudunt ceteræ
 Excellentis, et summæ dignitatis personæ
 pro ingressu Bucentauri designatæ. Innume-
 ra dein Cymbarum multitudine circum-
 fusus Bucentaurus inter lætos, musicos con-
 centus lente versus insulam S. Helenæ per
 remiges promovetur cui appropinquanti in
 pauca distantia ex hac insula alia navi de-
 aurata Patriarcha venetus Pontificali habitu
 amictus sequentibus cum Canonicis, et
 præcipuo clero inter *Psallendum* et Oratio-
 nes obviam procedit. Hac forma ad Bu-
 centauro pertingendo aqua lustrali Bucen-
 taurum aspergit, residuam vero aquam lus-
 tralem mari infundit. Ipse dein Venetus
 Dux anulum aureum cum expressione ver-
 borum de perpetuo maris Dominio prola-
 torum, in ipsum Pelagum projicit. Pe-
 racta hac functione Bucentaurus ad littus
 insulæ St. Nicolai appellit, in cujus Eccle-
 sia audito solemni sacro sua Serenitas ite-

rum conscendit Bucentaurum, reversusque in civitatem in Ecclesia S. Marci decantato hymno ambrosiano præcipuam Nobilitatem Venetam lauto excipit convivio, & sic tota hæc solemnitas lætis choreis terminatur.

Anniversaria hæc solemnitas exordium suum refert ad antiqua tempora illa, dum Pontifex Alexander tertius per Fridericum Barbarossam armis impetitus, Venetias profugit, subsidiisque ab hac Republica impetratis, Anno 1177. hujus Reipublicæ Dux die Ascensionis Domini victricibus copiis in Urbem reversus est. hostium classe fusa, fugataque, navibusque octo, & quadraginta captis (in quibus Regia fuit Triemis) duabus media pugna in alto depressis, retento maris imperio, Otho-nem filium quoque Friderici Barbarossæ Venetias captivum adduxit. Duci taliter victorioso reverso in ipso maris littore occurrit memoratus Pontifex, ac pro præstito sibi favore inter humanissimas gratiarum actiones, detracto ex digito suo anulo, illum Duci resignavit sequentibus dictis: *Accipe Heros a me annulum istum, & me Auctore ipsum mare hoc tibi pignore obnoxium reddito, quod Tu, tuque*
fac.

Successores quotannis stato die servabitis, ut omnis posteritas intelligat, maris possessionem jure belli vestram esse quandoque factam, atque uti uxorem viro, ita illud vestro subjacere imperio.

Primæ Classis urbis ædibus superius breviter commemoratis, prætermittisque brevitatis causa aliis minus principalibus rerum descriptionibus ad circumvicinarum Insularum, quæ certo modo formant Urbis suburbium, ipsique Civitati summo sunt ornamento enarrationem transeundo, maximæ extensionis primo obtutui se offert Insula *Giudecca* abinde denominata, quod olim hic Iudæi a Christianis separati hanc insulam inhabitaverint, quibus subseque submotis cives Venetiani suas habitationes eorsum transtulerint. Insula hæc, quam ramus maris, *Italis Canal della Luecca* vocatus ab urbe sejungit, angusta, & in longum protensa instar semicirculi unum latus civitatis ambit, nihilque ædificiorum mole, & dignitate principali urbis parti cedit; hac in insula 4 parochiales Ecclesiæ: ut pote S. Euphemie, Dorothee, Theclæ, & Erasmæ populi devotioni subserviunt: in una Benedictinorum Ecclesia re-

positum corpus S. Athanasii omni Anno sacerdotes græci ritus devotionis causa visitant.

Instituerunt & isthic certæ opulentiores Matronæ foundationem, ex cujus proventu pauperes, sed honestis natalibus ortæ virgines emaritantur, & convenienter dotantur.

Ad aliud Monasterium *Le Convertite* vocatum, per Moniales inhabitatum, fæminei sexus personæ peccatrices pro sui recollectione, & pænitentia agenda, aliquo tempore divertere consueverunt.

In Academia item per Patres, a Somasca vocatos, nobilis juvenus publicis sumptibus litteris imbuitur, & sustentatur.

Proximam huic aliam Insulam S. Giorgio Maggiore nominatam, stricto solum canali a prius dicta Insula separatam, quam Patres Benedictini pulchra Ecclesia, grandi Monasterio, amænoque horto instructam inhabitant, curiositatis causa ipsemet cymbula transvectus, inspexi, structuræque pulchritudinem admiratus sum.

Tertia Infula *S. Maria della Grazie*.
 4. *S. Clemente*. 5. *S. Spirito*. 6. *S. Helene*,
 quo corpus *S. Helenæ Matris Constantini Magni* Anno 1112. Constantinopoli translatum fuisse referunt. 7. *La Certosa*. 8. *S. Georgio*. 9. *S. Secondo*. 10. *S. Angiolo*. 11. *S. Christophoro*, & plures aliæ parvæ Infulæ in simul numero viginti, Monasteriis Ordinum, ac Ecclesiis ornatae, a sanctorum nominibus, quorum honori templa dedicata sunt, suas plerumque accipiunt denominationes.

Magnopere mihi mirum videbatur, aliquas a mediis aquis paucillum prominentes tam parvas Infulas, ut illæ vix in parvo compendio unicum solum Monasterium cum adnexa Ecclesia caperent, ad medii, imo ad unius etiam miliaris distantiam tam ab urbe, quam a continenti sejunctas, ac solitarias aliquorum Ordinum Monachis inhabitari: tales siquidem, ab omni reliquorum hominum consortio aquis segregati, vel ex Civitate Veneta, vel alio ex loco victualia sibi adferre coguntur: pelago autem, vel modice sæviente, egressus illis omnis præclusus habetur; sed & continuis ventis, & maris procellis expositi, rationabiliter metuendum habeant, ne vel mi-
 nima

nima terræ succussione in profundum pelagi tam alte dehiscant, unde ne pinaculum quidem templi amplius apparere possit; præsumptuosi profecto mihi potius, quam rationabiles videntur tam incommodarum, tamque periculo obnoxiarum exiguæ terræ particularum habitatores.

Venetiarum cives in peculiarem sui protectorem & patronum elegerunt S. Marcum Evangelistam a tempore, quo sæculo nono Saracenis Aegyptum infestantibus corpus S. Evangelistæ Alexandria Venetias translatum fuisse perhibetur.

Risu dignum est tamen illud, quod in foro S. Marci, jam sacerdotes ~~imp~~ ~~listæ~~, jam communis cujuscumque conditionis sæculares frequentissime exurgant, qui convocato circumvicino populo jam de sacris, jam de profanis rebus, ac historiis de^o publico concionem faciant: hos circumstant transeuntes, & aliquo tempore differentes audiunt; alii tædio longi sermonis abinde recedunt, & qui liberales esse volunt, aliquid exigui æris concionatoribus porrigunt, qui vero nihil expendere volunt, illi absque ulla munificentia loquentem deferunt. Similes agyrtæ in ejusdem fori triplici etiam
an-

angulo sæpius uno eodemque tempore sermonem facere audiuntur.

Reprobandum est illud, quod Ecclesiam S. Marci multa sorditie populus ab extus coinquinet; ita in Domus Prætoris inferioris, & superioris tractus ambitu, per quem tam Iudicibus, quam causantibus eundem est, impudice urinam mittat; non minus & aliis in locis publicis sine omni verecundia id genus sorditiem populus committere non erubescat.

Accedit huic pravæ consuetudini illud incommodum, quod in Italiæ diversoriis, in quibus condescendere solent peregrinantes, nullibi in superiore domus contignatione s. v. secessus reperiantur; sed in quolibet cubiculo id genus cistæ cum ollis, prout apud nos ægrotis præberi solent, humanæ necessitati subserviant, per consequens in eodem cubiculo, in quo fit cibi perceptio, etiam sequi debeat erogatio, quod ipsum munditiæ affuetus honestus Ungaricus genius magnopere averfatur.

Aliud Civitatis latus, quod Italiæ partes respicit, vix duorum milliarium intervallo, sinu maris a continente separatur,
ubi

ubi cum nec latus, nec nimis profundus sit aquarum ductus, sine periculo naufragii minoribus etiam cymbis homines ad terram firmam transportantur. Duo sunt ordinarii tales ab urbe exitus; horum unus perducit ad oppidum *Mesire* maris canali eo usque pertingente: alter vero exitus ad locum *Lizza fusina* quinque milliariibus Italicis ab urbe distitum penetrat. Peregrinantium commoditati deservientes duæ naves majusculæ 50 circiter personarum excipiendarum capaces, quotidie ab urbe Veneta ad has duas supra nominatas stationes, velut apud nos diligentiae currus vocati, proficiscuntur. Talis navis beneficio ego quoque Fusinam deportatus, propitio Numine ad terram firmam pertigi. *Lizza fusina* parvus vicus eo loco situs est, ubi fluvius Brenta Golfo Venetico miscetur. Duo hic observatione digna occurrunt; unum ut pote, quod ex hoc territorio per Canalem *Seriola* vocatum, ex fontibus, publicis sumptibus conservatis, aquæ dulces navibus in dominantem urbem transportentur: Aliud est illud, quod solida ad orificium fluminis catharacta præcipitem hujus fluvii in mare cursum ita temperet, ut fluvius iste semper tantas aquas in suo al-

veo retineat, quæ mediocris magnitudinis navibus supportandis sufficient.

Fluvius Brenta stricto alveo defluens longe supra urbem Paduam suam accipit Originem, prope Paduanam civitatem præterlabitur, atque ad *Lizza fusinam*, uti dictum est, illabitur. Per hunc fluvium Brentam navis nostra adverso fluvio equorum, in postalibus stationibus per vices permutatorum adjutorio, usque civitatem Paduam, Venetiis sex milliaribus distantem, attracta fuit. Oculos nostros magnopere oblectabant, & horti amænissimi, & palatia in utroque fluvii Brenta littore usque ferme civitatem Paduam continua ferie disposita, Venetæ Nobilitatis æstivæ distractioni deservientia. Sed antequam ad alias hujus Reipublicæ Urbes digrediar, opportunum fore censui, de hujus Gubernii forma, Armorum potentia, Proventibus, Monetis, commercii manipulatione, amictus forma, spectaculis publicis, & consuetudinibus aliqua commemorare; famosæ enim Urbis hujus Dominatum sequens indicat Epigramma:

Viderat Hadriaticis Venetam Neptunus in
undis

Stare urbem, & toto ponere jura mari.
Nunc mihi Tarpejas quantumvis, Iupiter,
arces

Objice, & illa tui mænia Martis ait:
Si Pelago Tybrim præfers, Urbem aspice
utramque

Illam homines dices, hanc posuisse
Deos

Defluxere jam ultra 1300 Anni, a quo
Inclyta hæc Respublica in flore, & vigo-
re suam obtinuit consistentiam; nec dubi-
um est, sub ipsis Annorum horum initiis
isthic penes Consules, & Tribunos per po-
pulum electos, supremam fuisse Regiminis
potestatem, quibus a quinque sæculorum
periodo successere Reipublicæ Gubernato-
res *Doge* vocati, qui veluti capita, & Præ-
fides diversorum Magistratum nonnisi una-
nimi Magistratum consensu in negotiis
Reipublicæ gravioribus aliquas possunt fa-
cere decisiones, constituuntque perfectam
Aristocraticam Regiminis formam; siqui-
dem tota publica Authoritas sita sit in No-
bilibium, & Patritiorum illorum voluntate,
qui scripti sunt in libro aureo, seu in Re-
gistro Nobilitatis Venetæ:

Post

Post Nobilitatem alterum statum constituunt Patritii de honesta civium Origine ad hunc statum assumpti. Non minus & per speciale Privilegium eo admittuntur opulentiores cum serico mercatum exercentes, & alii majoris momenti Manufacturarum Magistri primarii; ex hoc secundo statu dīguntur Secretarii, & Notarii publici, aliaque minorum Magistratum individua. Nobilis Venetianus poterit cum indultu Consilii Majoris ex hoc secundi Ordinis statu uxorem ducere, sine cujus consilii ratificatione filii talis Nobilis non inscribuntur Libro aureo, per consequens nec pro Nobilibus recognoscuntur. Gubernio præfunt sequentes Magistratus. 1. *Maggiore Consiglio.* 2. *Il Senato a consiglio di Pregadi.* 3. *Il Collegio.* 4. *Il consiglio di Dieci.* 5. *Le Quarantie.* 6. *Il Doge.*

Majori Consilio præfidet ipse Doge: isto vero absente Senior Consiliarius. Hoc consilium componitur ex totius Reipublicæ Nobilibus, 25. ætatis Annum superantibus. Penes hunc Senatum residet summa potestas condendarum legum; hic eligit ceteros Magistratus, & Rectores aliarum civitatum, ad hanc Rempublicam

d

spe-

ſpectantium: iſthoc majus Conſilium Magnum quoque Reipublicæ deligit Cancellarium.

III Senato habet curam negotiorum Politicorum, indicit bellum, ſtabilit pacem, imponit decimas, & tributa, eligit ad alias Potentias mittendos Legatos, Monetarum cuſioni; & commercialibus invigilat. Senatus hic componitur ex 120 Nobilibus, Senatorum titulo inſignitis, Officium cujusvis Senatoris durat uſque dies vitæ.

III Collegio. Huic Dicasterio præſidet etiam Doge, cujus ſex ſunt Senatores, qui omni ſeptimana die lunæ confident, in cauſis majoris momenti ad hoc Dicasterium pertinentibus dijudicandis: aliis autem diebus in ſuo conſeſſu recipiunt ſupplices libellos, legunt litteras vel ſuorum, vel aliorum Ablegatorum, decretaque ſua deſuper ferunt, quæ tamen, antequam pronunciantur, Senatui prius communicare tenentur.

Conſiglio di Dieci ſeu Conſilium Decemviratus de præſenti conſiſtit ex 16 Conſiliariis, quorum decem eliguntur per *Maggiore Conſiglio*, ſeu majus conſilium; alii

autem sex sunt Consilarii Dogei. Huic confessui præfidet ipse Doge. Senatus iste, quoad Iuris sui exercitium, æquiparari potest antiquis Dictatoribus Romanis: huic incumbit invigilare, ne aliqua publica enascatur seditio, ne falsæ cudantur monetæ, judicare majores causas criminales totius Provinciæ.

Le Quarantie seu Consilium 40 Virorum judicat causas tam civiles, quam criminales in præsentiam sui via appellatæ deductas.

Doge Principis Reipublicæ Venetiæ sublimis dignitas, quæ ad ejus vitæ dies confertur, fere æquiparatur Regio honori, cujus tamen Authoritas in eo restricta est, quod privatim nihil decidere, sed conjunctim cum Senatu, & Consilio Majore grandiora momenti negotia determinare valeat. Dum Doge extra suum Palatium in solemnibus functionibus publicis comparet; tum semper in comitiva habet aliquot personas e mentionatis Magistratibus delectas; Dum vero Idem ex Civitate hac alio digreditur; tum hoc sine a sex Consiliariis Consilii Majoris indultum obtinere debet, atque eorum extra officii sui functionem con-

stitutus, non nisi qua privatus Nobilis consideratur. Officiosa litteræ illius nomine exarantur publico Officii sigillo munitæ: sigillo insculptum est Regnantis Doge Nomen cum tali figura, quæ Dogeium ante imaginem B. Marci flectentem repræsentat. Omnis majoris valoris monetæ peræque Regnantis Nomine, atque prouti sigillum tali figura, atque imagine insigniuntur, Emblemate hujus imaginis significare volunt, non ipsum Dogeium: sed sanctum Marcum Supremum hujus Reipublicæ esse Protectorem. Dignitatem Præcerii, Canonicatum S. Marci, & alia aliqua minora officia, tam Ecclesiastica, quam sæcularia habet jus conferendi; Ipse proprio nutu eligit scudieros, seu corporis sui custodes, ac Palatii, seu Aulæ suæ Directorem *Cavallier di Doge* compellatum, rubra toga vestiri solitum, cujus officii etiam est, personas visitæ causa vel aliis in negotiis in præsentiam Doge venire volentes, Dogeo insinuare, atque introducere. Si ex aliqua familia primus aliquis in Dogii Dignitatem sublimetur, ei fas est, aliquos Cavalleros, & alios Patricios denominare. Doge cujuscunque Magistratus sessioni cum voto interesse poterit.

Electio Dogei peragitur solemnitate
 fequenti: Majus confilium, indicto die,
 convocata Nobilitate in unam urnam tot
 globulos recondit, quot præfentes funt
 nobiles: hos inter albi coloris globulos 30
 funt deaurati, dum fingillatim quilibet No-
 bilis unum globulum ex urna extrahit, eo-
 tum illi, quibus 30 deaurati globuli obti-
 gerunt, in vicinum conclave fecedunt, &
 e Nobilium contubernio alias 25 personas
 ea ratione feligunt, ut iidem nominent
 alios novem, qui rurfus confenfu fuo 45
 defignant, iftique 45 eligunt alios unde-
 cim: hi undecim poftremum fuffragiis fu-
 41 ætate tricennes, aut majores donomi-
 nant: atque fic his ultimum electis 41 No-
 bilibus delata eft activitas Dogeium ea con-
 ditione pronunciandi, ut pro fublimi hac
 dignitate electum individuum pro fui ele-
 ctione 25 obtineat fuffragia, cujufmodi
 longa folemnnitas introducta fuit ad omnes
 fraudes, & intereffentias prævertendas.
 Peracta, & publicata talifmodi Dogei ele-
 ctione neo electus Doge in comitiva totius
 Nobilitatis in efformato pulpito confidens,
 a deftinatis personis humeris per forum S.
 Marci circumfertur, qua occasione notabi-
 lis fumma noviter cuffæ monetæ inter po-
 pulum fpargitur, magnaue cum populi ac-

elamatione colligitur; finito circuitu, dum
 ad Ducale Palatium prævenitur, neo Crea-
 to Dogeio triclinium Palatii ingredienti
~~fer~~nissimus Confiliarius obvius, pretiosum
 Ducalem pileum, *Beretta di Corno* vo-
 catum ideo, quod alias in rotundæ formæ
 pileo isto in occipite ad altitudinem unius
 spitamæ exurgat unum aliquantum incur-
 vatum cornu. Hunc Pileum Venetiis in
 Ducali Palatio non tantum vidi, sed &
 memoriæ causa per aulæ Præfectum capiti
 meo impositum habui; ita etiam vesti-
 tus Ducales mihi exhibitos, tam occasio-
 ne electionis, quam aliis publicis solemni-
 bus sub functionibus adhiberi solitos confi-
 deravi. Vestes duplicis sunt Ordinis; aliæ
 hyemales ex rubra bysso usque talos per-
 tingentes, & totum corpus cooperientes
 pretiosis hermelinorum pellibus obductæ,
 & circumductæ Mozzetta vocatæ: aliæ ve-
 stes sunt æstivales fericæ purpurei Colo-
 ris absque ullo limbo seu circumductura,
 quibus etiam alter adhibetur petasus ruber,
 rotunde demissus, illa forma, qua hebræo-
 rum Rabini gestare consueverunt: rubris
 tibialibus, & rubris calceis pedes vestiun-
 tur: aureo intertexto cingulo tunica infe-
 rior corpori adstringitur: tali veste assump-
 ta, dum ad solennes publicas functiones
 Doge

Doge progreditur, cum comitantur sex
 Vexilliferi vexilla præferentes, sex tubici-
 nes, & tympanotribæ cum argenteis id ge-
 nus musicalibus instrumentis, colore cæle-
 stino vestiti, ac rubros petasos capitibus
 imponentes. His adjunguntur 12 scuderii
 vocati atri coloris veste induti, quorum
 alii super caput Principis tenent deaura-
 tam Umbrellam, alii portant fellam, quæ
 assimilari poterit fellæ, quibus olim cur-
 rules Romani utebantur, Ultra hõs est in
 comitativa Capellanus Ducalis peculiari ve-
 stitu incedens, atque unus Ceremoniæ Ca-
 vallerus. Ipse Doge Serenissimi Principis
 titulo, primæ classis autem Nobiles Excel-
 lentissimi, demum Ministri, & alii Magi-
 stratuales Illustrissimi compellantur. So-
 lemnitatis tempore in foro S. Marci festivi
 ignes accenduntur, omnium ædium fene-
 stræ candelis vespere illuminantur, ac to-
 tus populus in mascharas per triduum
 transvestitus, tripudiis, ac omnibus læti-
 tiæ signis exultat.

Mortuo Dogeio ejus funebrales ceri-
 moniæ consistunt in sequentibus. Ante-
 quam videlicet ejus obitus publico mani-
 festetur, defunctus absque omni solemnitate
 in silentio deportatur ad locum, fami-

liae suae sepulturae destinatum. Celatur autem hujus obitus vel maxime ideo, quod Dogei defuncti tota Domus ex recepta consuetudine populi pateat direptioni: atque ideo sollicitè de tempore pretiosiora mobilia per defuncti hæredes ad securiorem locum seponuntur. Mox vero, ubi ritu antiquo, ac certa formalitate mors Principis medio Gubernii publico notificatur, omnium campanarum etiam fonitu obitus *Suis* annuntiatur, ac e vestigio aperitur in Ducali Residentia Sala *dello Scudo* vocata, in qua recens denati Principis statua publico videnda exponitur; hujus statuae facies, ex cera artificiosè formata, defuncti hujus Principis physiognomiae simillima esse debet. Tota statua ducali vestitu exornata, sub uno atri coloris baldachino, armis gentilitiis denati Principis, scuto, atque armatura Reipublicæ exornata collocatur. Utrumque baldachini latus, grandes duæ cereæ candelæ accensæ illuminant. Ejusdem adhuc diei horis vespertinis transportatur hæc Statua in aliam salam, *del auditor novo* dictam. Huic statuae uno ex latere assistunt nobiles in rubro vestitu, ab alio autem latere adstantes Canonici Ecclesiae S. Marci, recitant preces pro defuncti animæ refrigerio. Tali sub

custodia tribus continuis diebus statua pu-
 blico obtutui exposita, circa vesperum diei
 tertiæ continuantur ceremoniæ funebrales,
 atque in magna utriusque sexus caterva, a
 a Palatio ducali, ad Ecclesiam S. Ioannis,
 & Pauli processionaliter progrediendo, pri-
 mo loco studiosa juvenus cum suis vexil-
 lis, domicellis item ex quatuor fundatis
 domibus, atque convictibus, totus clerus
 Regularis, Monachi, congregationum so-
 cietates præcedunt, quos sequuntur ordine
 domestici, & familiares defuncti Principis;
 demum Advocati, censores, Dicasteriorum
 Præsides lugubri veste induti, post quos por-
 tatur Statua Dogei in uno Catalecto per
 navales Capitaneos rubro colore vestitos,
 qui arma gentilitia Reipublicæ nigro feri-
 co velata præferunt. Comitantur hoc ag-
 men amici, & cognati denati Principis:
 his succedunt aliquot nobiles peculiaris fi-
 guræ 3 pedum altitudinis petasum in ca-
 pite gestantes, ex quorum superficie us-
 que terram defluit nigrum sericeum tegu-
 mentum, totum fere horum corpus con-
 tegens. Tali ordine tota funebris cater-
 va Ecclesiam S. Ioannis, & Pauli ingredi-
 tur. Hac in Ecclesia prævie sumptuoso,
 & magnifico artificio structum præexistit
 monumentum, Castrum doloris vocitatum,

100 pedes geometricos altum, variis statuis, Symbolicis figuris, armis gentilitiis, emblematicis, columnis, capitellis, & omnis generis eo applicabilibus ornamentis decoratum, ac ab imo usque superficiem infinitæ multitudinis cereis candelis illuminatum. Isthic audita funebri oratione, solemnibusque exequiis, atque omnibus funebralibus finitis functionibus tota terminatur Pompa funebris. Illud hic singulare plane, ac inusitatum alias occurrit, quod Doge Inaugurationis suæ expensas ex propria bursa persolvere, & pro casu sui obitus expensas quoque funebrales in antecessum ad cassam publicam deponere teneatur; denique quod, se vivo, nemo ex ejus familia ad officia publica habeat accessum.

Cancellier graude, seu Magnus Republicæ Cancellarius ex numero Secretariorum per Magnum Consilium eligitur. Huic officio considerabiles proventus. & præminentia adnexæ sunt; insignitur titulo Excellentissimi, intervenit omnibus magis momenti deliberationibus, omnibusque Republicæ consiliis interest tamquam Minister necessarius. Electionis occasione omnes Nobiles ejus electioni assistentes, sicut

sicut Patritii rubro habitu vestiuntur. Vestes honoratæ Magni Cancellarii hyemales consistunt ex Scarlato, æstivales vero ex rubro sericeo damasco, vestitui additur stola nigra, & rubri calcei. Electi Cancellarii dignitas durat usque dies vitæ. Ex omnibus cujuscunque Dicasterii individuis, huic uni parentatur tali funebrali solemnitate, qualis Dogeio vel exterarum provinciarum Ablegatis adhiberi solet, quod videlicet tam ipse Doge, quam omnes Magistratuales personæ solemnè pompa defuncti exanime corpus comitentur ad Ecclesiam S. Ioannis, & Pauli, ubi exaltato sumptuoso Mansoleo, copiosis cereis exornato, in ejus laudes ex ambone per electum quemdam Sacerdotem dicitur meditata Oratio, decantatisque solennibus exequiis finaliter corpus defuncti ad destinatum defertur sepulturæ locum.

Inter primas hujus Reipublicæ Dignitates reputatur quoque officium. *Procuratori di S. Marco* nominatorum, qui vigore sui officii sunt Senatores perpetui. Isti a reliqua Nobilitate distinctum gerunt vestitum, præsidentque triplici Departemento *di supra, citra, & ultra* vocato.

Procuratores di supra habent curam augusti Templi S. Marci, administrant hujus Ecclesiæ reditus, distribuunt exinde stipendia illis, qui aliquod officium in eadem æde peragunt, disponunt omnia ea, quæ ad ornamentum, & decorem ipsius pertinent. Hujus Ecclesiæ *Primicerium*, qui & vestitu, & Jurisdictione utitur Episcopali, ita Canonicos, & alios Ecclesiæ præpositos, atque ministros huc pertinentes, uti supra dictum est, denominare; ac quælibet beneficia Ecclesiastica conferre spectat ad Dogeium,

Procuratori di Citra sunt Administratores della *Procuratoria Vecchia*, seu sunt Curatores omnium pupillarium negotiorum, eorum pupillorum, qui in una parte magni canalis mediam Civitatem Venetam interfluentis degunt.

Procuratori di Ultra præsentant Procuratoriæ novæ, & habent administrationem hæreditatum pupillorum in altera canalis parte residentium.

Existunt insuper aliqui Præfecti, alii urbani, alii provinciales dicti, urbani sunt superintendentes exactionum, publicorum

redituum, æconomix publicæ, commercia-
 lium, sanitatis, & munditiei curatores;
 hi refrænant luxum, procurant victualium
 abundantiam, locorum, & foundationum
 piarum, atque artium habent inspectionem.

Præfecti Provinciales gubernant Civi-
 tates, Castella, exercitus navales; harum
 tamen utriusque classis Præfecturarum of-
 ficia diversas durant per temporum perio-
 dos; nam ex his non nulli sex, qui octo,
 aliqui sedecim, aliqui 24, & non ultra men-
 sibus sua retinent officia. Et sic circa Gu-
 bernium I. hujus Reipublicæ satisdictum
 videtur, si illud addidero, quod mihi pro-
 pe exciderat; nimirum Senatam Venetum
 ad Pontificem Romanum legatum nunquam
 Ecclesiasticam personam, sed semper sæcu-
 larem destinare, quo consilio omnem col-
 lusionem cum sede Romana evitare inter-
 dit. Neque Nobili Veneto licet, se cui-
 cunque extraneæ potentix ullo sub titulo
 obligatum reddere.

Sunt autem præter ordinata Reipubli-
 cæ munia, præcellentesque dignitates, alii
 quoque honorum, & præminentix gra-
 dus, quibus velut totidem illustrium facto-
 rum, gestorumque pro Republica merito-
rum

rum insignibus, atque Ornamentis ejusdem status Veneti cives, Patritii per Dogeium condecorari, præmiarique assolent. Inprimis est ordo Heroicus, & ille principaliorum Equitum S. Marci, Insigne hujus ordinis est torques aureus, cum dependente ex eodem numismate, in pectore gestari solito. In uno hujus numismatis latere, aut solum nomen Regnantis Dogei, litteris expressum, aut effigies ejusdem apposita cernitur, simulque S. Marcus Dogeio vexillum quasi tradens adumbratur. In altero latere exhibetur simulacrum Leonis alati, in una unguarum enses nudum evaginatum, in altero autem apertum librum, cui verba: *Pax tibi Marce Evangelista meus*, inserta sunt, tenentis visitur.

Alter Ordo pariter Heroicus est, Equitum Constantinensium, qui a Constantino Magno Anno 313 erectus traditur, habetque pro insigni crucem auream aureo torque dependentem. Equites hi Constantinenses in tres classes, ac quasi gradus eminentiæ dispescuntur. Primi horum, & eminentissimi sunt Torquati, sic dicti, eo, quod Torquem aureum collo appensum gestent; gestant autem præterea in pectore rubram, ad similitudinem lilii foliatam, &

in lamina aurea sculptis labaris, atque lemniscis interflexam crucem, cujus infimæ extremitati imago S. Georgii appensa est. Secundi ac quasi medio eminentiæ gradu positi vocantur *Equites Iustitiæ Clerici et Gratia*. Hi gerunt Crucem prioribus simillimam, sed sine Icone S. Georgii. Ultimi, qui sunt, nominantur *servientes* utunturque eodem ac priores Insigni, nisi quod Crux pariter Icone S. Ceorgii & labaris quoque destituta sit.

Insigne Reipublicæ Venetæ duplex est; minus unum, aliud vero majus Minus insigne exhibet in campo Cælestini coloris, Leonem alatum aurantii coloris, apertum librum tenentem, cui verba *Pax tibi Marce Evangelista meus* inserta sunt, supra vero Sensum posita est Mitra Ducalis, seu Dogeii. Majus, & universale insigne componitur ex partialibus appertinentium Provinciarum, & ducatum insignibus.

Vestitu Dogei Magni cancellarii, Primicerii di S. Marco jam prævie descripto; quod aliorum amictum attines Gavalleri, seu Nobilitatis Primores gestant occasione festivitatum largam stolam aureis filis intertextam, per humeros defluentem. Ali-

quantum minoris gradus Nobiles talarem nigram togam, ex panno aliquali argenteo cum apparatu ornatam, pretiosis animalium pellibus circumdatam. De æstate autem longum pectorale, longam germanicam tunicam, caligas, tibialia; superne vero laxam togam, manicis instructam; ceterum nigro colore induuntur.

Omnes supra mentionatæ conditionis viri capiti imponunt grandem crispis plexillum cincinnis album capillitium, seu Barucham, per dorsum, & humeros laxè diductum, Iuniores Nobiles, & alii Patrii. Iuris item municipalis, & medicinæ studiosi coccineo panneo in publico utuntur pallio. Communis denique plebs ordinarium germanicum pro more, usuque habet vestitum. Fæminei porro sexus Nobiliores personæ de die, præterquam in Ecclesiis, alibi in conspectum non prodeunt; vespertinis tamen horis Theatralibus ludis interfunt; Matronæ denique Nobiles, dum extra domum progrediuntur, pullo holoserico peplo, vulgares vero alba syndone velant sua capita.

Monetarum hujus Reipublicæ diversæ sunt species: minimi valoris est cuprea par-

parva moneta, *Soldo* vocata, quæ valet unum nostrum nummum; tales quinque *Soldo* constituunt unum pariter grossum imperialem; *Lyra*, vel unum *Pauli* valet nostros quatuor grossos, & sic 20 *Soldo* efficiunt unam lyram. Una *Petitza*, vel triginta *soldo* adæquant unum nostrum marianum. Veneticum unum *Ducati* efficit 8 *Lyras*, seu 32 grossos. *Scudi Veneti* consistit in 12 *lyris*, & octo *soldis*, seu *florenis* nostris duobus, ac 28 *cruciferis*. Medium *Scudi* importat sex *lyras*, & 4 *soldo*, seu unum nostrum *florenum*, & 14 *cruciferos*. Demum aurearum monetarum aliæ species sunt, aureus *Zechino*; huic succedit *Ducatus aureus la Doppia Venetiana*, medium *Zechino*, & *quadrans Zechino*.

Venetarum istiusmodi monetarum extra suam ditionem aliis in Regionibus non habetur usus. Ex cæsareo-Regiis autem monetis nonnisi integri *florenarii*, & *bi-florenarii* in iusto suo valore acceptantur. Aurea quæcunque nostra pecunia cum *falcidia* sex *cruciferorum*, in uno ordinario aureo per ditiones Venetas cursum obtinet. atque cum hac *falcidia* unus noster aureus permutatur 22 *lyris*, *florenis* 4,

& 24 cruciferos valentibus. Unum integrum suffrendor 33 lyris æquiparatur.

Comercium Venetum est antiquissimum, qui hoc in passu ceteris Europæ nationibus utilissimo præiverunt exemplo. Plurima sunt Producta, & manufacturæ hujus Reipublicæ, quæ summo cum lucro in alias Provincias deportantur; inter has censerî possunt: sericum tam crudum, quam præparatum; sericei, & scarlati panni, lana sericearum ovium, vinum *Moschat* vocatum. Oriza, uvæ passæ, oleum exquisitissimum, ex chalybe, & ferro, cuproque manufacturæ: Marmor speciale, & variegatum, Alumen, sulphur, Zacharum; cera tanto artificio purificata, cui par nullo reperitur. Flores, fructus hortenses delicatissimi, chrysellum, speculorum limpidissimorum, & perfectissimorum ingenioso artificio elaboratorum copia, librorum volumina nitidissimo caractere impressa. Cupra subtilissimo opere sculpta, & complura alia.

Publici Reditus hujus Reipublicæ computantur ad quatuor aureorum milliones. Bellica vis duplex est, terrestrium ut potè, & navalium copiarum. Tempore pa-

gis

cis terrestrium copiarum, tam pedestis, quam equestris Ordinis militia non transcendit triginta millium numerum. Belli autem occasione augetur ad 50 millium capita. Copia navalis fervente bello 50 & ultra diversæ magnitudinis classes in conflictum educit, quæ classis a Generali maris Capiteo, per majus Consilium electo gubernatur. Principales navalis militiæ officiales e Nobilitate Veneta deliguntur, qui pro officiorum diversitate, *Proveditore di armata, Di Almirante, Di Padrona, Di Capiteno, dette Galeaza, Di Comissario Pagatore* &c. nomina sortiuntur. Militia navalis plurimum ex Græcis Istriæ accolis, Dalmatinis, & Albanis consistit. Duces terrestris exercitus, ut plurimum magno stipendio exterarum nationem Viri, bellica virtute clari, conducuntur; hæ Cohortes ex Italis, & ære conductis imperialibus, Helveticæque Reipublicæ hominibus componuntur. Sub occasionem autem campiductuum non tota in hosticum educitur militia, sed in ipsa dominante Urbe remanent pro defensione aliquot cohortes, solida, tormentariaque armatura provisa, sub nomenclatione *Bombardieri* venientes.

Venetiarum populus conventus musicos, ac theatralia spectacula integerrimas censet delicias. Pro familiari autem animi exhilaratione, in grandi etiam Palatio, ad forum S. Marci existente, tempore bachanalium innumeræ personæ in larvas, mimicosque amictus transvestitæ (quo nec alio in vestitu ingredi licet) saltationi, jocisque indulgent. Exhibetur præterea aliud interdum spectaculi publici genus, *Nauonachia* vocata, origine ad antiquissimam relata ætatem, singulisque sub initium Annis in memoriam notabilis illius victoriæ frequentata, quam contra Tergestinos incolas, nobiles virgines Venetianas insidiosè ad exemplum Romanorum cum Sabinis gestum, rapere volentes, hujus urbis cives reportarunt. Iam vero spectaculum istud non semper æquali celebritate, nec certa, ac determinata periodo agitur, sed eo solum tempore exhibetur, dum exteris magnæ dignitatis Principibus, Venetias divertentibus, hoc ludi genere honoris tesseram præbere volunt. Hi ludi in æmulo, aliquot æqualis proportionis cymbarum, duobus solum remigibus impulsarum, cursu subsistunt, quippe: Competitores remiges suis in cymbis præstitum ad locum conveniunt, datoque per superintendentem signo,

figno, quaternis cymbis per totum Magni Canalis *Rivo alto* dictum alveum celerissimo cursu ad destinatam properant metam, ubi erecta Colossus Neptuni Dei marini dominatum cum symbolis, ac ornamentis repræsentat; qui nautarum primus eo appellit, notabili pecuniaria summa præmiatur, horum vestigium sequuntur aliæ quaternæ Cymbæ; dein his succedunt, tertio, quarto, & quinto loco aliæ cymbulæ; ad ultimum quatuor cymbis ipsæ etiam matronæ huncce navalem percontant cursum, semperque, qui primus e quaternaria cymbarum cohorte, æmulo actus remigio, præfinitam contingit metam, præmia reportat; ultra autem hæc, singulo cuique palmam ceteris præripienti, vexillum in signum triumphis puppis cymbarum præfigendum datur. Præter ludos hos oblectabile insuper præbent spectaculum aliæ naves, octo, vel decem remigibus adaptatæ, splendidoque apparatu instructæ; exhibent istæ varia Deitatum, Nationum, & fabularum simulacra, symbolicasque imagines musico concentu, ac humano oblectabili cantu imitatæ, per canalis alveum præcursantes, ~~sub~~ ~~quam~~ ~~occasionem~~ infinitus per hunc canalis tractum est confluentis populi numerus, ex fenestris, & do-

mibus, pulcherrimis fericeis tapetibus exornatis, ludos hos spectantis, & gestiennis. Antiquioribus nihil ominis temporibus acceptissima fuit Venetianis civibus pugna illa duarum factionum, unius partis, *di Nocolliti*, alterius vero parti *di Castellani*, cognomitarum, quæ simulacrum antiquorum Romanorum Gladiatorum repræsentabat; ast feralis hujus exempli usus Anno 1706. provide per senatum abolitus fuit.

Cum situs Urbis venationum oblectamenta, prout in continenti fieri assolet, præbere nequeat, duos tamen usuant venationum modos, quorum unus est, quod aliqui Nobiles in maris vicinia possideant amplissimas piscinas, aquis marinis repletas, ad quas piscinas autumnali tempore imanis volucrum copia, raptu piscium vesci solita, ex montibus Styriæ, & Carinthiæ convolat, quas venationis amatores, cymbis persequentes, trajiciunt; alia præterea venatio, marina vocata, in eo consistit, quod in memoratis piscinis volucres aquaticæ, *de Anitra* & *foliche* compellatæ, magno numero se detinere soleant; hæ ut primum venatorem conspiciunt, immediate se demergunt, & non nisi rarius

tius ex aquis respirationis gratia capita extollunt, ac ideo summa cum dexteritate, & celeritate, dum se videndas præbent, sagitta trajici solent; quæ aves suppeditant fapidam comestibilem speciem; Et hæc sunt principalia civium Venetorum publica oblectamenta-

Italicæ Nationis homines sunt de communi, Ingeniosi, Religiosi, familiaritatis cupidi, ac erga eos, cum quibus notitiam, & amicitiam contrahunt, affabiles; artium, & scientiarum, atque comercii amatores, excellunt præferenter in Pictoria, sculptoria, Musica, & Architectonica, ac ideo in ornatu Ecclesiarum, & ædium suarum structura ostentant artificiosæ, & sumptuosæ Architecturæ magnificentiam, hortosque suos ad omnes amænitatis, & oblectamenti modos excolunt. Nec vero in Nauticæ artis peritia aliis Nationibus maritimis inferiores se esse reputant.

Sed prout nulla Natio tam præstans est, quæ sibi non aliqua haberet adnexa vitia; ita illud Venetæ urbis habitatoribus improbandum, quod hi præ ceteris omnibus ambitione tumescant, & sexus fæmineus in ornatu, & vestium luxu maximo-

pere gloriam reponat. Viri hujus Gentis
 ab advenis, lucri consequendi cupidissimi,
 omnia media adhibent ad pecunias elici-
 endas. Ceteros inter abusus absurda est
 consuetudo illa, quod ubi extraneus quis-
 piam, quocunque exiguo tempore in di-
 versorio commoratur, vel ibi prandium,
 cœnamque sibi expetit, non obstant eo,
 quod satis caro pretio macilenta illorum
 edulia persolvere debeat, insuper omnes
 servi domestici cauponis a tali extraneo
 aliquam discretionem, a *bona manu* com-
 pellari solitam, deposcant, quorum petito,
 si nihil deferatur, indignationis edunt si-
 gna, ac hominem convitiis fere laceffunt.
 Sunt præterea injuriarum memores: & vin-
 dictæ studiosi. Communia porro illorum
 fercula consistunt in oriza, quæ primo ju-
 sculi loco mensæ apponitur, tam spissa, &
 omni jusculo destituta, ut non cochleari,
 sed fuscina ori ingeri possit: ordine se-
 cundo sequitur carnis bubulæ particula, in
 sola aqua salsa sine omni condimento de-
 cocta, ac absque ullo additamento mensæ
 illata; dein vel ex farina, vel vile virida-
 rium specie cibi condimentum, caro ver-
 vecina, columbæ, vel altilium aliqua spe-
 cies, plerumque in aqua salsa decocta,
 sicca, nec ullo alio cum additamento præ-
 para-

parata ; & finaliter affatura fatis marcida
 convivis [præsentatur ; his adduntur panis
 vice libones instar pugni virilis rotundi
 tam dure tosti , ut prius masticari neque-
 ant , antequam malleo contundantur. Vi-
 num adhæc obscure nigrum , spissum aci-
 diffimumque in hac Provincia procreatum,
 sine præsentissimis stomachi torminibus non
 est Ungaro , generoso Patriæ suæ vino
 assueto , potabile. Nec mirum illis in par-
 tibus tam vile vinum procreari , cum nec
 modus , nec industria ulla alia in culti-
 vandis vitibus adhibeatur , quam quod co-
 loni in circumferentia agrorum , & prato-
 rum suorum ordine plantatis salicibus , ad
 tres passus ab invicem distantibus , inter-
 medio infitis vitibus , harum palmites
 in utrumque latus arboribus iis appendant,
 ac sic nulla adhibita alia industria ardore so-
 lis usque maturescant. Superioribus attamen
 in Italiæ Regionibus magis regulate asve-
 runt vineas cultivare , unde non mirum
 iis in locis melioris qualitatis vina procrea-
 ri ; alibi etiam non arbores Salicum , sed
 olyvarum agris , & pratis interferere com-
 mune est ; sed hic in maris vicinia credi-
 bile est , salices eo motivo implantari ,
 quod circa Golfo Veneticum terra decli-
 vis humida sit , ac communi experientia
 ad

ad trium solum pedum profunditatem, effosa terra, e vestigio aqua prorumpat. Tali igitur (ut præmissi) misero victu tractatus, ad vitandam sanitatis meæ jacturam, longe citius, quam proponeram, in Patriam meam reverti sum coactus; quas nihilominus Urbes, & peripherias intermedio brevi tempore peragravi, circa illas observationes hic meas paucis adnectere operæ pretium reputavi.

Posteaquam itaque beneficio fluvii Brenta ad Urbem Paduam pervenissem, cognovi hanc urbem antiquissimam, & nominatissimam in planitie fertili post everisionem Trojæ, dum Aeneas cum focis suis, novas sibi sedes quæsiturus, Latium advenisset, per Antenorem Trojanum ædificatam exstitisse. Quæ sub temporibus Romanorum, ut celebre fuit municipium, ita subin sæculo quinto ab Alarico Gothorum Rege, dein vero ab Atila ruinata, & repetitis tandem vicibus incendiis, & terræ motu desolata exstitit. Narsetes postliminio Urbem hanc restauravit; Longobardi vero iterum devastarunt. Carolus extremum Magnus eam de novo restabilivit; atque abinde tempore a tantis fatalitatibus respiravit, securiorisque permanens cau-
sa,

fa, voluntarie semet Iurisdictioni Venetorum subjecit. Paduæ est fundata Venetæ Reipublicæ omnium scientiarum Universitas.

Secundum systema præsentis Gubernii, quolibet decimo sexto mense, Consilium majus Reipublicæ Venetæ Paduam aliquot expedit Patricios, ex quibus aliquot deliguntur personæ, quæ civili Gubernio, limitataque cum authoritate huic præsumt Provinciæ. Post obsidionem per Imperatorem Maximilianum Anno 1599. frustra tentatam, Venetæ ampla, & profunda fossa, vastis parietibus, & aliis ad defensionem requisitis muniverunt hanc urbem, ad quam septem portæ præbent ingressum. Urbis figura est quasi triangularis, ambitus vero 6200. longitudo, & latitudo 1450. passuum esse reputatur. Duo fluvii Brenta, & Brachilione in multos ramos divisi, magno cum commodo, commercio, navigationi, ac molendinis deserviunt. Incolæ urbis ad 35000 capita recensentur, qui tamen numerus relate ad urbis amplitudinem tam exiguus est, ut media urbs incolis vacua esse videatur, siquidem multæ, & præcipuæ Domus pertineant ad Venetiarum incolas, qui potissimum in Metro-
poli

poli resident, & nonnisi fervente calore æstivis diebus valetudinis causa Paduam divertunt. Parochiæ hic numerantur viginti novem; utriusque sexus conventus viginti octo, præter Confraternitates, Hospitalia, ac alias fundationes pias. Inter ceteras ædes, antiqua forma structas, excellent duæ Ecclesiæ; una quippe S. Iustino, altera S. Antonio dicata cum conventu Patrum Minorum; hujus in Ecclesiæ latere sinistro, parvo facello corpus S. Antonii conditum esse refertur, ubi copiosis lampadibus continuo ardentibus, & sacris officiis reliquiæ sancti hujus honorantur.

Thesaurum hujus Ecclesiæ maximum reponunt in sanctorum reliquiis, ac ideo, cum illæ in Ecclesia post magnam aram duplici serra inclusæ sint, unam hujus repositorii clavim ipsi Patres Minoritæ; aliam vero civicus tenet senatus, quatenus sine utriusque præsentia portæ istæ referari nequeant. Dum ipse hunc Thesaurum inspiciendum expetiissem, per Magistratum exmissa persona portas cum concursu unius Religiosi Patris repositorii hujus referavit, ac ceteras inter reliquias, linquam S. Antonii adhuc in corruptam inibi ostendit. Externum tectum Ecclesiæ hujus tot
la-

lamincis cupulis coopertum est, quot sunt
 Templi concamerationes. Non comme-
 moro hic in particulari omnia altaria le-
 vigatissimo de marmore structa, non sum-
 mi artificii sculpturas in lapide, non pic-
 turarum in imaginibus elegantiam, per Ita-
 licam gentem maximo in pretio haberi
 solitam; sufficiat id horum intuitu dixisse,
 quod ad omnes artis, bonique gustus par-
 tes exactissimæ sint operæ. Peculiaris etiam
 est mos in Italiæ Ecclesiis, nulla scamna
 haberi; sed qui sedere cupit, illi sedem
 famulus adfert, iterumque domum refert.

Multum glorientur hi cives in grandi
 sala Publicæ universitatis, in qua studiosa
 juvenus ad Doctoratum variarum scien-
 tiarum graduatur; huic ædi peræque la-
 mineis tabulis tectæ, spatiosus, & secun-
 dum totam salæ longitudinem ex utroque
 latere protensus ambitus, ab utroque sine
 gradibus ascensui, & descensui deservien-
 tibus, aliquid addit commoditatis, atque
 ornamenti. Silentio tamen præterire non
 possum his in atriis eam per communem ple-
 bem absurditatem comitti, ut sine ædis re-
 spectu hic promiscue naturam exoneret,
 quæ sordities, cum rarissime repurgetur,
 vix per unius minuti spatium, gravi, &
 mihi

mihî prorsus infolitô oppressus vapore, consistere valuerim. Salam ingressus ejus longitudinem 131., latitudinem autem 60 passibus ordinariis emensus sum.

Prope conventum P. Minoritarum diverti ad hortum Dogei bōttanicum, in quo inter arbores exoticas affricanas, & americanas hortulanus vetabat me unam arborem contrectare, asserendo, tantum inesse huic arbori veneni volatilis, ut, vel minimo ejus foliorum contactu, subito manus, ac dein totum corpus intumescat, sensusque humani præ intenso dolore in rabiem vertantur, quam propera, eaque acerbissima mors certo comitari solet.

Non postremæ inhabitatorum communitati adnumerari possunt ædes urbis recta linea collocatæ, omnes fere amplis porticibus instructæ, sub quibus commeantes, ab aeris intemperie protecti, omni tempore ab uno plateæ sine ad alium sicco pede transire possunt.

Hac in regione plaustra bobus præjungi solita, a nostris in eo differunt, quod illorū pars anterior, minoribus rotis adaptatis, decliviter terram versus propendat,

deat, ea forte de causa, quod altiores rotæ posteriores quasi ipso situ anteriores minores propellendo, faciliori virium impendio per jumenta promoveantur.

Personæ illæ, quas melior conditio a vulgi sorte secrevit, duarum rotarum curru, cui unus equus inter duos temones injungitur, seu Cisione monojugo, communiter ad breviores distantias commeant, cujus currus sedile, prout communis nostræ sunt sedes, admodum angustum est, ut ægre uni sessori, eique vel mediocriter obeso commodum sedendi præbeat spatium,

Dum quis postalibus equis iter accelerare vult, tunc etiamsi tantum duo postales equi injungantur, tamen semper uni equo auriga infidet, & sic alium adjunctum equum impellit.

Si autem aliquis ad longius iter vectorem privatum, qui *vectorini* nominatur, assumat, solet cum eo ita de mercede pacisci, ut per totam viam ipse vector peregrinans victu, hospitioque provideat, unde igitur itinerans expensarum suarum itinerarium certum jam in antecessum potest formare calculum.

Inter

Inter memoratæ Urbis raritates commemorari meretur, quod immediate extra Urbis portas, inter urbem, & suburbium in amplo cespite: *Prato della Vale* vocato, excavatus sit rotundæ figuræ alveus, duas circiter orgias latus, & totidem profundus, ab immo, & a lateribus quadratis lapidibus formatus, ad quem ex quatuor lateribus per lapideos pontes patet ingressus, hinc alveo, latere ab uno per meatus subterraneos influit, & parte ab altera effluit ramus fluvii Brentæ, in cujus circuli utroque margine, super altis substatulis collocata sunt multorum eximiorum; in Re liberaria, virtute bellica, atque sago, & toga clarorum, deque Republica bene meritorum Virorum simulacra, quælibet ex albo marmore affabre sculpta. Nihil rari, atque insoliti est, ad omnia Ecclesiarum altaria, & ædificiorum ornatus, plerumque marmoreos lapides adhiberi, alioquin ipsis Italiæ montibus omnis coloris marmora affatim suppeditantibus.

Cupivissem equidem ego susceptum hoc meum iter Padua per Vincentiam, Veronam, Bresciam, Mantuam, Bergomum, usque Mediolanum continuare, nisi sive languidior æris temperies, sive adver-
sa

la stomacho edulia, eorumque præparatio-
 nis ratio, primum vires, ac exposit ipsam
 Valetudinem, alias firmam fregissent, pe-
 demque in Patriam referre coegissent. De-
 testatus vero molles, periculofasque æquo-
 ris vias, per Ditiones Venetas terra, quam-
 vis quadridui longiore itinere, Tergestum
 versus viam inivi, quæ redeunti primum
 obtulit Mestre oppidum.

Mestre vero oppidum est parvum, sed
 antiquissimum non alio titulo notabile, quam
 quod e sinu adriatico beneficio canalis us-
 que hoc oppidum, ex urbe Veneta tam
 homines, quam merces ad terram firmam
 exponantur, inde curribus ad circumvici-
 nas regiones promovendæ. Mestre relicto,
 obtulit semet

Treviso inter primas Reipublicæ Ve-
 netæ civitates censenda, longe ante Chri-
 stum natum ædificatam, plerasque domus
 duarum, & trium contignationum antiqui-
 tatem redolentes exhibet, quarum pluri-
 mæ extrinsece picturis olim ornatae fuisse
 apparent; plateæ tamen irregulares, & an-
 gustæ ornatum demunt aliquid. Domus ci-
 vica multis sculpturis lapideis vetustatis
 exhibet monumenta: hic est & Episcopalis

Residentia. Per mediam pene civitatem rapidissimo cursu fluvius *Sile* decurrit. In medio Civitatis altissima Turris semper tempore hostilitatis pro specula deserviebat, ad observandam circumfusam planitiem: cum, & alias Civitas lato, profundoque vallo, ac solido muro contra omnem impetum hostilem munita habeatur. Habitatorem numerus sedecim millium esse dicitur, quæ summa tamen ad extensionem urbis comparata, civium paucitatem, & populationis defectum videtur inducere.

In oppido *Udertzo*, quod tertium adii, nonnulli Nobiles ad modernam no^rmam ædificatas domos inhabitant, cum ceteræ sint forma antiqua structæ: hoc oppidum exiguus rivus perluit. Hinc ultro proficiscendo, navis adminiculo transvectus, fluvium *Piave* vocatum, perveni ad oppidum

La Motta in se quidem parvum, & antiquissimum, beneficio tamen navigabilis fluvii *Piare*, inter oppidum, & suburbium defluentis, ac in mare se exonerantis commercio aptissimum. Tum contigi

Oppidum *S. Gvido*, quod quasi duplicatum apparet esse oppidum, cum unam
ejus

ejus partem ab alia separet præaltus murus. Præter hunc muri ductum extrinsece etiam vallo, & humili muro cinctum, fluvio Royo irrigatur. Hic trium Religiosorum conventibus jam abolitis, nonnisi in una satis ampla Ecclesia parochiali peraguntur pietatis officia: adnexum præterea urbi suburbium multum addit ejus amplitudini, atque ornamento.

Advertendum est, dum quis per hunc sinus Venetici circuitum terrestri via Tergestum versus revertitur, aliquot torrentes ex Alpibus Tyrolis in mare Adriaticum præcipiti cursu decurrentes, transiri debere, quorum aliqui ex Alpium scaturigine orti continuo toto Anni tempore suum retinent cursum; alii vero a pluviarum ubertate, ac nivium in montibus Tyrolis resolutarum copia suum sumunt incrementum, vel decrementum; fluvios hosce perennes, & constanter aquis uberantes, navigiis superant ii, quibus iter institutum est; sed multo plures sunt rivi curribus, & equis superandi, qui torrentium instar jam intumescunt, & late semet effundunt, jam pene exarescunt, atque nec pontes ullos, nec ulla in promptu habent navigia, dumque intumescunt, plane non

sunt permeabiles; dum vero mediocres aquas deferunt, tunc quoque non sine periculo curru, & bonis equis superari valent; sed & tunc majoris securitatis causa per aliquot conductos homines, ne aquarum violentia transeuntes abripiantur, currus ab utroque lateri sustentari debent, ut adeo nimia torrentium horum rapacitas, & incerta profunditas periculi plenum suppeditantes transitum, omnino dubium faciant, an mari, quam terra torrentibus his interpolata, tutius sit peregrinari. Opportunissimo tamen Anni tempore evenit, me hoc iter suscepisse, cum plura istiusmodi flumina tunc, aut nimis exigua aqua referta, aut penitus arentia sicco pede transitum indulserint; horum omnium periculosissimus fuit fluvius *Taliamento* vocatus, qui nullis ripis constrictus, per planitie decliviores partes, Danubii instar latissime se diffundere solet; sed & hunc tantopere temperatum reperi; ut nonnisi illis in locis, quæ rapacitas aquarum profundius aliquantum excavabat, aqua defluerit; elevatiores vero partes sabulo, ac lapillis oppletas, ficas permeaverim. Majoris nihilominus securitatis causa in memorato oppido S. Guido itineris ducem locorum peritum conduxeram, qui equis, &

currui præeundo, aquarum profunditatem explorabat, ac taliter propitio Numine in aliam fluminis rippam salvus, & incolumis trajeci, continuato abhinc itinere ad Passavianum oppidum pertigi, quod præter splendidum Castellum, amænumque hortum, ad Ducem modernum Venetum pertinentem, nihil memorabile exhibet.

Palma Nova: Fortalitium Venetæ Republicæ lata fossa, & solido muro ad bonum defensionis statum positum, rotundæ quasi formæ, octogonalis figuræ, plateas rectissima linea ad formam stellæ ordinatas hæbet, quæ omnes ex medio fori, quasi totius civitatis centro, uno obtutu transpici possunt. Circa forum in cujuslibet plateæ angulo simulacra Venetorum Ducum; in lapideis effigiata statuis, pro civitatis ornamento, dignoque posteritatis monumento collocatæ visuntur. Hinc

Rivum *Torre*, fluvium *Ludro* præ tunc aridum; flumen vero *Lyson* navis beneficio transivi, pervenique ad *Montfalco* quod oppidum nimis exiguum vix quadraginta domibus instructum prætervectus, pertigi ad locum *Banye* vocatum, ubi angustus maris sinus per planitiem usque mon-

tium radices extensus, Ditiones Venetas a Cæsareo Regiis nostris Provinciis separat; hunc finem transvectus, per territoria, & loca Cæsareo Regia, *Sessina*, *Ambrosina*, *S. Cruce*, *Proffeco*, & *Opefina* compellata, Tergestum appuli abindeque in Patriam meam via, qua Venetias petii, reversus sum.

Universum autem Dominium Reipublicæ Venetæ dividitur communiter in tres principaliores ditiones, nempe: 1. In terram firmam. 2. In possessorium Dalmatiæ, & Albanæ Regno ingremiatum. 3. In insulas mari Adriatico, & Ionio circumfusas.

Titulo terræ firmæ intelligitur totus ille tractus, cui memorata Respublica in Regno Italiæ dominatur; hujus Dominiî confinia terminantur cum Tyroli, Carinthia, Carniolia, Golfo Veneto, & Ducatu Mantuano; hoc ipsum territorium in longitudine ad 180, in latitudine autem alicubi 100. alibi vero ab situs inæqualitatem solummodo ad 50 milliaria Italica extenditur, subdividiturque istud Terræ firmæ Dominium in quinque partes, 1 Lombardiam,

diam, ut pote: Venetam. 2. Ill Dogato.
3. Marca Trevigiana. 4. Ill Friuli Veneto.
5- L. Istria, compellatas.

Lombardia Veneta complectitur in se
oëto districtus, nimirum 1. *Il Cremasco.*
2. *Il Bresciano.* 3. *La Riviera.* 4. *Il Bergamasco.* 5. *Ill Veronese.* 6. *Il Vicentino.*
7. *Il Padovano.* 8. *Il Polesine di Rovigo.*

Ill Dogado comprehendit totum terri-
torium Mari Adriatico collimitaneum cum
Insulis, lacunis, paludibusque eo spectan-
tibus. Territorii hujus capitaliores Urbes
nominantur. 1. Prædominans civitas *Veneta*
2. *Chiogia.* 3. *Malamocco.* 4. *Brondolo.*
5. *Grado.* 6. *Marano.* 7. *Caorle.* 8. *Lo-
reo.* 9. *Murano.* 10. *Burano.* 11. *Mazor-
bo.* 12. *Torcello.* 13. *Lissa fusina.* 14. *Tam-
barare.*

Marca Trivigiana componitur ex ter-
ritoriis fructiferis, glebæ fertilitate omnis
generis frugum copiam, Vinum, canabes,
linum, atque pascuum boum, oviumque
gregibus alendis affatim suppeditante, syl-
vis item volatilia, lepores, & alia syl-
vestria animalia; aquis autem piscium co-
piam continentibus. Districtus iste flumi-

nibus, *Ill Musone, Ill Dese, Ill Zero, Ill Meschio, Ill Montegnano* irrigatur. Notabiliores Urbes numerat. 1. *Il Trivigi* tanquam caput hujus districtus. 2. *Afolo.* 3. *Bassano.* 4. *Castel franco.* 5. *Coneda.* 6. *Conegliano.* 7. *Mestre.* 8. *Motta.* 9. *Novale.* 10. *Odereze.* 11. *Portubuffole.* 12. *Seraville.* 13. *Cesana.* 14. *S. Salvatore.* 15. *Cordignano.* 16. *S. Donato di Piavi.* 17. *Zumelle.* 18. *S. Paulo.* 19. *Valmarino.* Cum aliis minoris momenti locis, isthic brevitatis causa non commemoratis.

Supra descripto Venetiarum Dominio contigua est Provincia, *Ill Friauli Veneto,* latine forum Iulium, a Iulio Cæsare appellata, motivo ex eo, quod Iulii Cæsaris militia plerumque hac in Provincia hiberna sua haberet stativa, vel quod Iulius Cæsar magnum primus induxerit commercium. Amplitudo hujus Regionis terminatur. Tyroli, Carinthia, Carniola, & mari Adriatico; situs est partim plani, partim montosi. Fluvii duo *Livengo,* & *Taliamento* bifariam illam interfecantes, quantum utilitati, tantum rapiditate sua campos inundante, magno sunt habitatoribus detrimento; aere fruitur salubri, mare vicinum, lacus, & flumina piscium; syl-

filvæ vero ferarum abundantiam submini-
 frant: terra fæcunda incolarum necessitati
 abundanter subvenit, nec vini procreatione
 deftituitur. Serico, & tela maximum exer-
 cetur commercium. Dialectus incolarum
 composita esse videtur ex Gallico, Græco,
 Latino, atque Germanico. Tota hæc Pro-
 vincia subest Dominio Veneto præter di-
 strictum Goritiæ, & Gradiscæ. In hac Friaul-
 lia tria Principalia considerabilia occurrunt.
 1. *Parlamento*. 2. *Civitas di Udine*. 3. *Con-
 tadineuza* vocata. Parlamentum efficiunt
 Prælati, & Nobiles. Civitas di Udine con-
 sistit ex civibus Nobilibus, & popularibus.
 Contadineuza componitur ex octingentis
 pagis.

Parlamentum in Civitate *Udine* semel
 quovis anno congregatur pro electione suo-
 rum Deputatorum, & pro pertractandis aliis
 publicum concernentibus negotiis Principa-
 liores Civitates Friauliæ nominantur. 1. *U-
 dine*. 2. *Cividale*. 3. *Portogruare*. 4. *Pal-
 ma nova*. 5. *Perdenone*. 6. *Salice*. 7. *Ge-
 mona*. 8. *Venzone*. 9. *Tolmezzo*. 10. *S. Do-
 niele*. 11. *S. Vico*. 12. *Marano*. 13. *Mont-
 falco*. In civitate *Udine*, Provinciæ Metro-
 poli residet Archiepiscopus *de Udine*. Hic
 tam in foro Ecclesiastico spiritualia, quam

in foro Politico civilia, & criminalia totius Provinciæ pertractantur. Inter diversos Magistratus primus Magistratus titulatur *Consiglio Maggiore*, seu consilium Majus ex 150 Nobilibus, & 80 civibus compositum. Isthoc consilium deligit alios Magistratus, & officia momentosissima distribuit; minora autem officia confert Consilium minus, *delle convocazione* appellatum. Magistratum della *Sanità* seu sanitatis efficiunt sex cives Civitatis Udine, quorum obligatio est sanitatis publicæ curam habere.

Proveditore, de confini sunt tres Nobiles a Principe electi, qui sub præsidio unius Senatoris Urbis Venetæ eo fine emissi, in vicinis confiniis intervenientes Controversias dirimunt, & bono rerum Ordini invigilant.

Magistratus Annonæ vocatur *Giurati de commune* italice, & consistit ex tribus Nobilibus, & Notario, qui sunt superintendentes, ne quæ aliquæ fraudes inter e-
mentes ~~et~~ vendentes comittantur, ut debito modo tributa incassentur, justî inter commerciantes Contractus observentur, & curant

rant omnia, quæcunque ad reciprocam conferre possunt justitiam.

Civitas Udine viginti habitatorum milia censet, quæ tamen numerosiores incolas habebat, antequam illam pestis Anno 1511. & 1656. depopulata fuisset.

Istriae potiorem partem occupat status Republicæ Venetæ, quæ Provincia prioribus sæculis solum Marchionatus titulo veniebat, Format illa unam Peninsulam sinu maris Adriatici circumdatam, quæ a continenti conjungitur Carniolæ, & Foro-Julio. Figura loci repræsentat quasi manum apertam. Provinciæ hujus nomenclatio originem suam refert ad flumen, quo alluitur *Arsa* nunc, antiquis vero temporibus *Istro* vocatum. Longitudo Provinciæ 122. latitudo autem 40 milliarium Italicorum esse reputatur. Fluvius *Timavo* inter ceteros hujus terreni fluvios præcipuus. Regio hæc tribus principaliter productis abundat, sale ut pote, oleo, & vino; frugum exiguum producit quantitatem ejusdem soli sterilitas, Piscibus tamen, & ferina carne haud destituitur. Ex lapicidinis copiosum marmor eruitur ædificiis ornandis idoneum; Aere non ubivis fruitur salubri, quo non
ob-

obstante sufficientem numerat populi in ratione extensionis frequentiam. Loca principaliora recensentur sequentia: *Capo de Istria* id est Iustinopolis. 2. *Isola*. 3. *Piramo*. 4. *Umago*. 5. *Citta Nuova*. 6. *Parenze*. 7. *Rovigno*. 8. *Pola*. Minoris confederationis oppidis, vel pagis isthic non commemoratis, ac reliqua Istriæ parte, ad Dominatum Austriacum pertinente.

Capo d' Istria, latine Iustinopolis hujus Provinciæ Civitas capitalis jacet in Insula, antea Aegida, vel a capris compellata, lacunis maris circumfusâ, nec multum a continenti sejuncta, cui solido lapideo ponti conjungitur. Huc refugerunt antiqui habitatores, ut se Sclavorum, antea partes has infestantium, rapacitati, & barbariei subtraherent. Hac in urbe, Fano per veteres Palladi dicato, nunc vero in Palatium Prætorium converso, uni Marmoreo lapidi antiquitus insculpta leguntur sequentia

Palladis ætate fuit hoc memorabile Saxum
 Effigies, quondam clara hæc Urbs, dum
 Aegida mansit,
 A capris Divæ sic tum de pelle vocata,
 Quæ, quoniam reliquos semper superaverit Istros

Artibus ingenii, semper caput esse de-
corum

Promeruit Patriæ, cui tot hæc præsti-
tit una

Inde a Iustino mox Iustinopolis ultro
Principe, & a Venetis dicta est caput Istria
tandem,

Auspiciis, quorum vivat per sæcula
tuta

Dalmatiæ moderni limites terminan-
tur in circum flumine *Boja* vocato; Bos-
nia, Croatia, & Golfo Adriatico. Toti huic
tractui quatuor Potentiæ dominantur, ut
pote: Respublica Veneta, Augusta Domus
Austriaca, parva Respublica Ragusana, &
Porta Ottomanica. Hæc Dicitio generaliter
non potest dici fertilissima, in tantum etiam,
quod multorum bellorum vicissitudinibus,
paucos numeret habitatores, ac per con-
sequens destituatur sufficientibus terræ cul-
toribus. Montes hic asperi, & saxosi, ste-
rilesque nihil producant ad usum huma-
num: silvis tamen in planiori situ ubivis
abundat Provincia. Inter pauca, eaque exi-
gua flumina præferentiam habent *Karka*,
Catina, & *Narenta* fluvii; aliorum autem
fluviorum defectum supplet mare copiosa
pisca-

piscatione, & portuum opportunitate commercium facilitante; Incolæ locorum frugalis vitæ, animosi, & robusti ad militaria servitia sunt aptissimi, ac ideo Respublica Veneta ex horum incolarum numero optimas deligit cohortes suas militares. Principalia terræ hujus producta consistunt in oleo vino, piscibus salis, carnibus, lignis, & lanâ.

Venetarum arces, & oppida cum eò pertinentibus territoriis nominantur. 1. *Contado di Zara.* 2. *Sebenico.* 3. *Trau.* 4. *Spalato.* 5. *Lesina.* 6. *Di Nona.* 7. *Le Piazze frontiere.* 8. *Insulæ de Quaruër.*

Zara latine *Jadera* caput Dalmatiæ Venetæ olim colonia Romana, sub Imperatore Augusto muro circumdata, & de præsentis solidius adhuc munita, in Insula non multo intervallo a continenti separata, omnibus belli requisitis instructa Venetæ Provinciæ defensionis subservit. Residet in illa *Proveditor Generale*, seu Gubernator, & Generalis Provinciæ.

Possessorium Augustæ Domus Austriacæ, in Dalmatia habitum, communiter vocatur *Morlachia Imperialis*, quæ fuit nidus
Gen-

Gentis Uscochy nominatæ, & ex Albania
 isthuc delatæ, quæ indomabili sua ferocia,
 tam per mare pyriticam exercebat, quam
 montium recessibus fisa, rapinis suis vicino
 populo molestat, & formidabilem se red-
 debat. Morlachia per totum fere silvis op-
 pleta, natura sua sterilis, & infæcunda di-
 ci potest. Hinc non procul distat portus
Buccari, unde per asperrimos montes tran-
 situr ad segniam. Morlarhi ut plurimum quæ-
 stum cum lignis exercent, quæ ad maris
 littora devehentes, moderato, vel potius
 vili pretio extraneis distrahunt. sermone
 ipsi utuntur Sclavonico, Religionem profi-
 tentur græcam, seu Orientalis Ecclesiæ
 non unitorum, indole feroces, & ad fati-
 gia indurati boni evadunt milites.

Possessorii Turcici in Dalmatia confi-
 nia terminat Territorium di *Cliffa*, Ter-
 ritorium item Ragusanæ Reipublicæ, & Al-
 bania.

Ejusdem Venetæ Reipublicæ Dominia
 in mari Ionio ab antiquissimis temporibus
 subiectæ, & ab insultibus Ottomanicæ po-
 tentiæ valde onerosæ defensæ, atque cu-
 stoditæ, recensentur Insulæ sequentes. 1.
Insula di corfu. 2. *Insula di S. Maura.*

3. *Insula di Caffalonia.* 4. *Insula di Zante.* 5. *Insula di carigo*, quæ, & fœcundæ, & satis opulentæ in simul unitæ, seu propter terreni ubertatem, seu per habitatorum copiam, seu portuum commoditatem, atque earum extensionem, ac situs fortitudinem juste possunt æquiparari uni floridæ Provinciæ. Ex his præcipuæ solummodo *Insulæ Corfu* vocatæ synopticam mentionem hic facere lubet.

Corfu, latine *Corcyra* surgit in extremis sinus Venetici confiniis, cujus unum latus alluit mare Ionium, justoque titulo contra insultus Turcarum antemurale Italiæ dici meretur. Nomen *Corfu*, quod græce summitates, & eminentias significat, a suis collibus hæc *Insula* traxisse putatur. Figura hæc repræsentat unam falcem. Tota hæc *Insula* dividitur in quatuor *Circulos*: *Oros*, *Agiru*, *Miezzo*, *Aleschino* vocatos. Antiquis temporibus hæc in *insula* existit famosa *Civitas Cassiope*, a delubro *Iovis Cassiopei* denominata, super ejus delubri rudibus de præsentis ædificata est *Ecclesia B. M. Virginis* dicata; isthic uni marmoreæ *Tabulæ* insculpta cernitur effigies *B. M. Virginis*, ubi inter magnum populi devotionis causa concursum ex superstitione aliqui

qui cognatos, & amicos suos, longe diffi-
 tos, an vivi adhuc, vel mortui sint, per-
 conſultari volendo, eidem marmoreæ ima-
 gini apponere ſolent aliquam cupream mo-
 netam, quæ ſi in marmorea illa tabula con-
 ſiſtat, credunt, amicos ſuos adhuc in vivis
 agere: ſi vero moneta abinde decidat, ſup-
 ponunt, eosdem jam obiviſſe. Quantum
 autem mereatur fidei temerarium iſthoc ex-
 perimentum, ſapientum iudicium diſcer-
 nat. Multi Venetæ Patrii reſident in
 Inſula Corfu; alii qua majoris, & minoris ma-
 ritimæ militiæ commendantes, alii portuum
 cuſtodix deftinati, & alii civili gubernio
 præpoſiti; ſuprema tamen omnium Digni-
 tas eſt penes Generalem Inſulæ Guberna-
 torem, quæ ſemper confertur uni Venetæ
 Urbis ex Senatorum numero Seniori, rei
 militaris expertiſſimo cum titulatura, *Pro-
 veditor General da Mar*, qui etiam in
 publico a ceteris diſtincto utitur amictu.
 Hujus Inſulæ habitatorum habitus corporis,
 & indoles ſatis indicat eosdem antiquorum
 Græcorum veram eſſe progeniem: Nam
 plebs communiter loquitur Græco, cultio-
 res vero perſonæ Græco ſimul, ac Italico
 fermone. Veſtitus formam plebs retinet
 Græcam, Nobiliores vero veſtiuntur more
 Italico.



Cum in Dalmatia parte ab una Republicæ Ragusanæ territorium conterminetur cum Provincia Republicæ Venetæ, ideo hic loci pro coronide de statu Republicæ Ragusanæ libet aliqua generice commemorare.

Status Republicæ Ragusanæ, quantumvis parvæ extensionis, consistit tamen ex terra firma, & aliquibus minoribus maris Adriatici Insulis; cujus termini clauduntur Albania Veneta, Territorio di *Castel Nuovo*, & sinu maris Adriatici Venetiani. Totâ Provincia partim montosa, partim plana, bene culta subministrat panem, vinum, & oleum. Civitates præcipuæ vocantur; *Ragusa*, *Sabiencello*, *Stagno*, *Insula præterea Meleda*, & *Lagosta* compellatæ.

Civitas Ragusa, olim Epidaurum, collocata in una quasi Peninsula solido muro, & turribus secundum usum modernum firmata, commerciali portu fruitur. Frequentia Urbis non excedit quinque millium habitatorum numerum. Hæc civitas tam terræ motu, quam incendiis multum calamitatis experta est. Principale Gubernii caput Rector Republicæ vocatur. Hic residet Archi-Episcopus cum suis Canonicis.

Gubernium totius Status dependet a duobus consiliis, uno, utpote: majore, & alio minore Consilio ex statu Nobilium composito. Ex horum numero deligitur Rector Reipublicæ, cujus officium nonnisi uno durat mense; durante functione idem gestat peculiarem vestitum Ducalem, & residet in Palatio Ducali. Reliqua Nobilitas vestitur longa nigra pedes usque diducta penula manicata. Illud hic notabile, quod Nobiles abque ulla fatigiorum remuneratione defendant causas litigantium. Reipublicæ nomine moneta cuditur, cujus tamen minores species tantæ sunt subtilitatis, ut aquis injectæ supernatent. Personæ distinctioris conditionis loquuntur idioma italicum; Plebei autem Sclavonicum, Officia nihilominus Divina latino peraguntur sermone.

Possent procul dubio de Illustris Reipublicæ Venetæ statu longe plura adhuc scribi per illos, qui historica ex professo pertractant, si præsertim illi ad omnes particularitates suam extendant narrationem. Verum scopo meo sufficit, ea solum modo objecta, quorum in isthoc itinere notitiam mihi comparavi, pleraque generice, ac succinctissima methodo recensuisse, quem

etiam bonum animi mei conatum, ut benevolus lector æqui, bonique consulat, precor.

Datum Aradini die 15. February
Anno 1796.

Andreas Kászonyi,
de Totvarad Consiliarius Regius,
& Aulæ Regiæ Familiaris.



Errata Corrige.

Pag.	Menda	Correcta
7	- arbitrabat	- arbitrabar
8	- fructura	- structura
9	- planitiæ	- planitie
11	- Regionque	- Regionique
12	- attissimos	- altissimos
13	- aliquod	- aliquot
14	- solvis	- solvit
15	- diversa	- diversæ
17	- administratæ	- administrato
19	- ipsi	- ipsi
—	- tote	- tota
21	- traducta	- traductæ
22	- hoc	- hic
—	- circumferantur	- circumferuntur
27	- constructæ	- constructa
—	- ex	- est
31	- visituntur	- visituntur
33	- impediis	- impendiis
34	- arca	- area
35	- Triemi	- Triremi
37	- Extranei	- Extraneis
39	- definata	- destinata
—	- pallendum	- Spallendum
42	- devosionis	- devotionis
44	- de	- in
49	- manufactorarum	- manufacturarum
—	- individuo	- individua

	Menda		Correcta
Pag.			
49	- superantibus	-	superantibus
54	- provenitur	-	pervenitur
—	- in	-	omittatur
56	- fui	-	ejus
58	- insignitur	-	insignitur
63	- ulimi	-	ultimi
—	- attines	-	attinet
66	- uoæ	-	uvæ
73	- uoæ	-	uvæ
77	- lamincis	-	lamineis
82	- nomam	-	normam
84	- lateri	-	latere
90	- quæ	-	omittatur
—	- que	-	vendentesque
96	- Alefchino	-	Alefchino
